

Afzet. Luth. 1804

CHRISTIANVS

Nomine & Re Sorte & Morte SVSPIRIIS

Plenus

Quo breui-
ter adum-
bratur.

Christiana

εὐζωία.
εὐδαιμοσία.
ἀδαιμοσία.

Cum

TRIADE CORONARVM GLO-
RIÆ CHRISTIANÆ.

formatus

Ex verbo Dei & piorum scriptis

Ab

OTHONE CASMANNO

Sachsische
Landesbibliothek
Dresden

M DC

VI.



E FRANCOFVRTI

Collegio M. C. P. P.

Seneca.

Quantum potes, te ipsum coargue, inquire in te: Accusatoris primum partibus fungere, deinde Iudicis, nouissime deprecatoris. Aliquando etiam te offende: Libenter enim errat, qui se errare nescit: nimisq; se amat ipsum, qui alios vult errare, ut error suus lateat.

Idem.

Triumphus innocentia est, non peccare, ubi liceat. Sic viuendum est, tanquam in conspectu Dei viuamus: Sic cogitandum, tanquam aliquis pectus intimum perspicere posset.

Hoc unum discas, vitam hanc contemnere. Nemo illam bene duxerit, nisi, qui contemserit. Cogita semper qualis vita tua, non quanta sit. Non enim tam viuere bonum est, quam bene viuere.



EXIMIAE IN-
DOLIS ET SPEI
ADOLESCENTIBVS,
eruditę pietatis, & probitatis
studiosissimis,

IOANNI BAPTISTÆ
HENRICO
SCIPIONI CHRISTIA- } BECKER.
GRATIÆ (NO
ALBERTO }

*Magni Iudicii, & experientia multa
parente, D. IOANNE BECKER
viro ex. mio natis liberis.*

*Salutem & benedictionem a Domino
precatur.*

OTHO CASMANNVS.



Npendētia seculi, quod
ingressi estis, propitio
Numine, præsentis fata,
Optimi Adolescentes, in

Epistola

hac etiam ætatula vestra discite mecum penitius introspicere, vt quid Deus & parens, quid temporis & officii vestri ratio a vobis exigat, prudenter cognoscatis. Bella minatur ortus & occasus: Pestilens vndiq; lues latius serpere fatagit: Centesimas periodos Rebuspub. fatales esse ostendunt historiæ monumenta. Noueritis autem periodis imperiorum circûactis deficere auctoritatem; qua deficiente, sequuntur mutationes. Si mentis vestræ oculos aperueritis, collabi multorum auctoritatem videbitis. Imprudentia multis caliginem offundit, vt suas ruant furenter in clades. Malitia mundi incrementum, virtutis studium capit decrementum. Error in consiliis parit infelices actiones. Iam cum fortuna statq; caditque fides.

Non est quod miremur impendentes clades; Miremur potius enormium delictorū magnitudinem; delinquentium multitudinem; delin-

quendi

Dedicatoria.

quendi consuetudinem, quæ in naturam abit; atrocium deniq; scelerum publice vel concessam, vel areptam licentiam & impunitatem. Recte Seneca noster: Mali mala sua, quod malorum vltimum est, amant: tunc autem consummata est felicitas, vbi turpia non solum delectant; sed etiam placent; & desinit esse remedio locus, vbi quæ antea vitia fuerunt, mores fiunt. Illa sunt, quæ & denuntiant, & accelerant nobis istas clades.

Has autem vt declinetis, a pueris date operam, vt qui Christiani appellamini, reuera sitis nomine & re, vita & morte Christiani, & Christianæ gloriæ corona condecorabimini. Sunt qui sub Christianismo nati & educati: dici quidem volunt Christiani, vita & moribus interim nihilo infidelib. meliores. Sunt qui pietatem transmunt in hypocrisin. Vos in Christo, & Christus in vobis, ipsum Christum serio imitamini, vocationem vestram, generalem dico & specialem in fide

ad gloriam Dei, & proximorum utilitatem conferentes, re ipsa Christianismum exprimate, Deo, Christo, & Euangelio eius digne ambulate, in sermone Christi manete, vos ipsi abnegate, crucem vestram tollite, sequimini Magistrum Christum, luctamini, ut eluctemini, quæ caro & mundus concupiscit, ne perficite, & veri eritis discipuli Iesu Christi, Deoque ipsi curæ & cordi. Hæc voluntas Dei, nimirum sanctificatio vestri, hoc votum parentis vestri, & hic gemitus quotidiani. Explete eius desiderium, sustinete spem, quam concitastis.

Conscripsi igitur in meum aliorumque usum Christianum nomine & re, sorte & morte, plenum suspiriis, fata seculi huius intuens, vota animi mei exprimens; Adieci Triadem Coronarum gloriæ Christianæ, ut incendium esset & calcar Christianæ pietatis & caritatis. Hic scopus, hoc votum, in me & in o-

nni-

Dedicatoria.

mnibus studium sanctæ & Christianæ vitæ inflammare. Vobis Christianis adolescentibus CHRISTIANVM hunc primo suspirantem, & postea coronandum testificandi amoris & gratitudinis (quam optimo vestro parenti, Domino Compatri & amico meo honorando debere me agnosco) animo non malo inscripsi, non utique sperans me amici animum offensurum, eiusque amorem in amaritiam versurum. Et profecto si vos, si me hunc quoquo modo formatum ex sacris literis, & piis Doctoribus Christianum intueri, si imitari, si observare, si obuiis, quod dicitur, vlnis amplecti, si in usum traducere, si veluti sole quodam vitam collustrare exoptem, quis improbabit? quidue obstabit?

In mundo hoc viuitis & versamini, de mundo vos esse non vult Christus, nec vult parens. Experiemini olim immundi mundi profanam vanitatem. Crescente ætate crescet co-

gnitio mundi. Cauete vero ne cognitum sequamini, sed auerſemini, eiusque contemptum, magno animo contemnatis. Mundo, cuius Numen Satanas, cui magnus Pluto, cuius vires & virus opes, spes omnis pendet ex fortunæ ludibriis, quib. effertur, & vana simul inflatur gloria; Ebri⁹ voluptatibus ſectatur Syrenes. Hanc quæſo vos per omnem vitam cauete, fugiteque Circen.

Neq; vnquam magnifacite vanam mundi ſcientiam ac inanem ſapientiam, ſiniſtrum iudicium, indomitos affectus, ſuiipſius cœcum ac fatuum amorem, vanas mundi delitias, fluxam proſperitatem. Amentiam eſſe exiſtimate, negligere ſuam cōſcientiam. Ne fidite mundo; Domus inſidiarum eſt; Eſt magnus hypocrita mundus, bene meritis malam gratiam refert. Spernite æſtum, inuidiam, odium, calumnias, flagitiis cooperti, ſecuri & infanientis mundi.

Contra vero Chriſto inferti, Chri-

ſti ſer-

Dedicatoria.

ſti ſermonem audite , & obſeruate ,
memores vos a Deo creatore veſtro
conditos ad ſanctitatem , & iuſtitiam.
Adducat vos ſemper ad ſanctam obe-
diētiam inæſtimabile beneficium re-
demtionis veſtræ: redempti quippe e-
ſtis , vt gratiam referatis Redemptori.
Intuemini in exemplar perfectionis
Ieſum Chriſtum, cuius veſtigiis Chri-
ſtiano eſt inſiſtendum. Ducat vos di-
gnitas vocationis veſtræ ad ſanctita-
tem Chriſtianæ vitæ: nō enim ad im-
punitatem, ſed ad veſtri ſanctificatio-
nem vocati eſtis. Deo per Chriſtum
reconciliati eſtis, vobiſq; peccata re-
miſſa ſunt, vt in poſterum iuſtitia &
Deo viuatis. Primitias ſancti ſpiritus
accepitiſtis, vt ſanctimonie ſtudeatis; da-
tæ ſunt hec vobis, vt ſanctificati Chriſto
adhereſcatis; offenſis veſtris ſpiritus
hic contriſtatur. Noui homines, bo-
næ arbores, bonos proferant fructus.
Excitet, tueatur, acuat fides veſtra, ſi
viua eſt, virtutis ſtudium. Abſque o-

Epistola Dedicatoria.

peribus fides est mortua. Ostendite
ex operibus fidem.

A pud philosophos, optimi sunt ha-
biti, qui vita & moribus philosopha-
bantur, qui parci in sermonibus, co-
piofi autem in virtutum exercitiis e-
rant. Pythagorici verbis breues, ope-
ribus vero prelixos habebant sermo-
nes. Anacharsis item mirifice proba-
uit virtutum copiam, verborum par-
simoniam. Natura ipsa nihil fictum
& simulatum amat. Ea itaq; vobis sit
suauissima harmonia, si vita ipsa pro-
fessionem Christianam respondeat.

Candido animo hæc confidentius
scribo, vt currentibus subdam calcar;
vtor quippe veteri in vos præceptoris
iure. Atq; iam ipse pono & relinquo
vobis, Christiani adolescentes, amo-
ris mei in vos qualecunq; monumen-
tum, quod eo, quo a me offertur, ani-
mo accipiatis, oro. Bene agite & va-
lete in Christo Iesu Seruatore nostro,
Dabam Stadæ Idibus Quintil. Anno
Christiano 1605.

IN-



INDEX

CAPITV M

CHRISTIANI SVSPI-

RANTIS.

- I. *Christianus Christi discipulus. 1.*
- II. *Christianus Christianæ Religioni addictus, adeoq; religiosus est. 5.*
- III. *Nomen Christiani gloriosum. 13.*
- IV. *Christianus Christi unctiois est particeps. 19.*
- V. *Christianus particeps unctiois Christi, fit quoq; particeps ipsius Christi quo cum unitur. 24.*
- VI. *Christianus Christi & unctiois eius particeps, adscitus est in societatem nominis & honoris Prophetici. 29.*
- VII. *Christianus Christi & unctiois eius particeps, est adscitus in societate nominis & honoris Sacerdotalis. 36.*
- VIII. *Christianus unctiois Christi particeps, in societatem nominis & honoris Regii adscitus est. 46.*

Index

- IX.** *In se gloriosum nomen Christiani, Mundi tamen odiis & calumniis semper fuit obnoxium. 57.*
- X.** *Christianus vitam suam vivit per fidem Christi recte conceptam & fundatam. 73.*
- XI.** *Fides moderatur & regit Christiani vitam animale[m] seu temporalem. 80.*
- XII.** *Fides moderatur & regit Christiani vitam spiritualem. 87.*
- XIII.** *Canon vite Christiane moderator. 94.*
- XIV.** *Christianus sui ipsius abnegationi indefessam dat operam. 99.*
- XV.** *Christianus abnegare se ipsum studet precibus, officii sui pia meditatione, mundi contemptu, & assidua disciplina consuetudine. 105.*
- XVI.** *Christianus intelligentiam & voluntatem carnis satagit abnegare. 113.*
- XVII.** *Christianus incumbit abnegationi malarum cupiditatum &*

affe-

Capitulum.

*affectionum animi, & imprimis
proprii vitiosi amoris. 119.*

XVIII. *Christianus abnegat se renun-
tando omnibus suis pravis ha-
bitibus & vitiis. 126.*

XIX. *Christianus crucem suam tollit
quotidie. 144.*

XX. *Christianus ignita tela Diaboli ex-
cipit & elidit. 156.*

XXI. *Christianus tollit crucem exter-
nam, tum communem, tum pe-
culiarem. 172.*

XXII. *Christianus ad tollendam suam
crucem, patientia, malorum re-
medio sibi comparato, pie uti-
tur. 184.*

XXIII. *Christianus seipsum abnegans,
& suam tollens crucem, studet
Christum sequi & imitari. 216.*

XXIV. *Christianus ut sequatur & con-
sequatur Christum viam ingre-
ditur salutis per Fidem ad vi-
tam. 221.*

XXV. *Christianus Christi imitator, viã*

Index

- quoq; vitæ Christianæ, exemplo Christi, init. 230.
- XXVI. Christianus vitæ colens innocentiam, ad Christi exemplum, Deum glorificando, orando, obediendo, & se humiliando, pie se erga Deum gerit. 236.
- XXVII. Christianus insistens Christi vestigiis se erga proximos suos caritate, beneficentia, patienti mansuetudine & iustitia probe gerit. 247.
- XXVIII. Christianus præuiam Christi facem sensu, habitu & motu suo, qua fas & potis est, sequitur. 256.
- XXIX. Christianus in sequendo Christum, viam fidei & vitæ recte emensus, tandem attingit viam metam, patriam cœlestem, ubi Christus est. 265.
- XXX. Mors Christiani beata est. 272.
- XXXI. Christianus præparat, accingit, ac componit se toto vitæ suæ decursu ad beate moriendum. 280.
- XXXII.

Capitulum.

XXXII. Christianus mortem suam in
media vita meditatur. 288.

XXXIII. Christianus in dies scit mortis
vim infringere. 295.

XXXIV. Christianus mortem commē-
tando in hac vita ad aeternae
vitae primum gradum spirat.
300.

XXXV. Christus meditans mortem,
viuendo mori discit, ut mo-
riendo viuere possit. 305.

XXXVI. Christianus cum morbo iam
conflictans, in primis studet
sui cum Deo reconciliationi.
309.

XXXVII. Christianus egrotans animae
suae cura affectus, eam aduer-
sus mortis metum munis.
319.

XXXVIII. Christianus correptus, cor-
poris sui curam donec super-
est, non abiicit, sed pie gerit.
328.

XXXIX. Christianus ante mortem dat
operā sui cū pximis suis recō-

- ciliationi, omnesq; res suas provide disponit. 333.
- XL. Christianus elevata ad Deum mente in fide Iesu Christi moritur. 338.
- XLI. Christianus obsequio promptus ad nutum Dei, cum desiderio eterne vite moritur. 344.
- XLII. Deniq; Christianus animam exhalaturus, eã Deo submissee commendat. 349.
- XLIII. Christianus relicta vita naturæ, post vitam gratiæ per mortem beatam ingreditur vitam gloriæ eterne immortalem. 355.

FLORES CORONÆ PRIMÆ, GLORIÆ Christianæ.

1. Christianus ab eterno Deo præcognitus, & in adoptionem filiorum Dei prædestinatus est. 383.
2. Christianus ab eterno, Deo singulari & constanti amore diligitur. 385.

3. Chri-

Capitulum.

3. Christianus ex excellentissimarum
caussarum coitione admiranda &
supernaturali generatur. 387.
4. Christianus regenitus diuinæ natu-
re participatione ad diuinum & su-
pernaturalem statum euehitur. 389.
5. Natalis Christiani maximo cælo-
rum gaudio concelebratur. 390.
6. Christianus ex semine natus diuino
veram nacltus est nobilitatem. 392.
7. Christianus summis ornāmētis vir-
tutis & honoris est præditus. 393.
7. Christianus honorificis titulis præ-
ceteris est maxime illustris. 395.
8. Christianus est viua imago viuentis
Dei. 397.
9. Christianus est pulcerrima & dile-
ctissima Christi sponsa. 398.
10. Christianus est viuum tabernacu-
lum viuentis Dei. 400.
11. Christianus est quoddam sacrarium
Spiritus sancti. 401.
12. Christianus est thesaurus & pretium
pretiosissimum. 402.

††

Index

13. *Christianus est excellens lux & quasi sol quidam in mundo. 403.*
14. *Christiano animo nihil maius in mundo est. 404.*
15. *Christianus est Rex, imo excelsior Rege mundano. 405.*
16. *Christiano nulla creatura nocet, sed omnis inservit. 407.*
17. *Christiani gratia omnia in mundo facta sunt & adhuc conseruantur. 408.*
18. *Christianus velut quidam totius mundi Monarcha est. 410.*
19. *Christianus Rex intra se habet Dei regnum. 412.*
20. *Christiano cuncta feliciter succedunt. 413.*

FLORES CORONÆ SE- CVNDÆ GLORIÆ Christianæ.

1. *Christianus omni honorum genere dignus. 415.*

2. Pius

Capitulum.

2. *Pius Christianus omnium doctissimus est doctor. 416.*
3. *Pius Christianus solus est sapiens. 418.*
4. *Solus verus Christianus seipsum recte cognoscit. 419.*
5. *Solus Christianus veritatis observans & tenax. 421.*
6. *Solus verus Christianus est hominum prudentissimus. 422.*
7. *Verus Christianus solus est hominum fortissimus. 423.*
8. *Christianus solus hominum omnium potentissimus. 425.*
9. *Christianus seipsum vincendo, de seipso victoriam reportat victoriosissimam. 426.*
10. *Solus Christianus impavidus nihil timet nisi culpam & Deum. 428.*
11. *Christianus patiando vincit omnia. 429.*
12. *Christianus mansuetissimus & humillimus est. 431.*
13. *Christianus liberalis bona sua, quæ*

Index

- possunt communicari, omnia cum omnibus communicat. 433.*
14. *Christianus sua bona, sancta frugalitate, tuetur & auget. 434.*
15. *Christiani anima casta, & corpus mundum est. 435.*
16. *Solus Christianus omnium hominum est iustissimus. 437.*
17. *Christianus est diuini timoris obseruantissimus. 438.*
18. *Christianus solus viua fide praeditus viuit. 439.*
19. *Christianus solus spe certa Deo nixa fulcitur. 440.*
20. *Christianus caritatis ardore flagrat in Deum & homines. 442.*

FLORES CORONÆ TERTIÆ GLORIÆ CHRISTIANÆ.

1. *Solus Christianus vera pace fruitur. 444.*
2. *Solus Christianus veris gaudiis & voluptatibus perfruitur. 446.*
3. *Christianus sine vlla grauiore cura*

&

Capitulum.

- & sollicitudine viuit. 447.
4. Christianus vera laude dignus, valde gloriosus existit. 449.
5. Christiani statura recta, figura praestans, pulcritudo admirabilis est. 451.
6. Christianus ita vere diues est, ut ei nihil unquam desit. 453.
7. Pii Christiani causa Deus rerum omnium copia praebet urbi & orbi. 455.
8. Veri Christiani Deus est protector, custos, & vindex. 456.
9. Christianus in nobilissima Republ. Dei ciuitate natus & educatus, Deum Christum & spiritum eius Doctores habet. 458.
10. Christianus Dei & bonorum usu & consuetudine gaudet. 459.
11. Christianus vere liber Deo & Christo sancte seruit. 461.
12. Christianus est Dei amicus, imo familiari & domestico usu Dei gaudet. 463.
13. Christianorum vota & dona Deo sunt gratissima. 464.

Index Capitem.

14. *Christianus cœlesti sanctorum ciuitate donatus, in terris est victoriosus miles Iesu Christi. 466.*
15. *Christianus filius Dei, heres vite æternæ, est in Deo, & Deus in ipso. 468.*
16. *In Christiano omnis beatitudinis ratio inuenitur. 469.*
17. *Christianus non moritur, ideoque mortem non timet. 471.*
18. *Christianus post discessum ex hac vita, felicitate optata beabitur. 472.*
19. *Christianus cœlo illatus, ineffabili afficietur gloria. 474.*
20. *Christianus cœlo adiudicatus maxima in æternum perfruetur beatitudine. 476.*

CHRI.



CHRISTIA- NVS

Nomine & Re

VITA ET MORTE,
Plenus Suspiriis.

C A P. I.

Christianus CHRISTI
discipulus.



CHRISTIANVS
(nomine & re) est
Christi discipulus,
Christianã religio-
nẽ cõplexus & pro-
fessus, in fide Christi
filii Dei viuens & moriens.

Act. 11. Discipuli nominabantur

A

Christiani, qui scilicet Christo se in disciplinam tradiderant, qui Christi legibus. conuenienter, tum recte credebant, tum sancte viuebant.

SUSPIRIVM.

Suspiranti, sancte Deus, clementer adspira; Initiatus sum Christianismo, Christianus per tuam gratiam, operante & reformante me Spiritu tuo sancto, esse & dici discupio. Imbue itaque me in Repub. Christiana versantem, Christi, cui nomen meum dedi, sacris; collustraradiis caelestis veritatis oculos mentis meae, flecte voluntatem ad Christianae fidei obedientiam, repurga animi impuras affectiones, sanctifica & confirma vires, quibus insistens vestigiis Christi Magistri discipulus genuinus, geram me legibus eius conuenienter, recte credam, & sancte viuam, adeoque vnctionis Christi mei particeps caelesti gaudio & gloria perfruar. Amen.

CANON.

Omnis verus Christianus est in schola Christi discipulus. Act. 11.

2.

Omnis Christi discipulus agnoscit, audit, & sequitur Magistrum Christum. *Ioannis 10. Luc. 14.*

Discipuli autem est discere & amplecti disciplinam Magistri sui. *Matthaei 11.*

Magistri est docere & tradere doctrinam ac disciplinam discipulo. *Ioannis 13.*

3.

Omnis itaq; Christianus audiens Magistrum Christum in verbo suo se docentem, sibi tradentem tum fidei doctrinam, tum vite disciplinam, studiose ab ipso discit. Discit autem ut sequatur & obsequatur.

4.

Discipulus non est supra Magistrum. *Luc. 6.* Audiendo itaque & sequendo Magistrum Christum, discipulus Christianus, quamcumque cum suo Magistro sortem non recuset ferre.

Comunicatio doctrinae & disciplinae

trahit secum communicationem vitæ, fortis & mortis.

Subiecisti te Christi discipline, submitisti te simul Christi forti, quæ primum est Crucis, postea Lucis.

SUSPIRIUM.

Limina Scholæ tuæ, Præceptor Iesu, Magister veritatis, sum te Duce ingressus: Tuæ me disciplinæ tradidi discipulum, suscipe miserum, refer susceptum in album Sanctorum tuorum.

Doce me per verbum tuum, sed doce me per spiritum tuum, ut doctus a Deo discā, sciam, faciam. Præcipe, Præceptor, discipulo, sed interim da & effice in me, quod præcipis, & docilem habebis discipulum. Ais enim: Vere eritis discipuli mei, si vos manseritis in sermone meo: Vos dicam amicos meos, si feceritis, quæ præcipio vobis. Sermonem comunicas, comunica mecum aures audiendi, & vires in eo permanendi, & præceptis obsequendi. Non modo me doce, sed & effice me facere voluntatem tuā. O Domine Iesu, submitte me disciplinæ

tua

tuae, & subiiciam me sorti tuae; Scio sortem tuam priorem esse crucis & ignominia, posterioriorem lucis & gloria. Spiritus tuus bonus sit interior Magister meus, doceat me, ducat me in scholam sanctae tuae crucis, ut tu Praeceptor me discipulum recipias in scholam caelestis lucis, Amen.



C A P. II.

Christianus Christianae Religioni addictus: adeoque religiosus est.

Mnis CHRISTIANVS a fabulis & impura superstitione traductus, RELIGIONEM CHRISTIANAM, adeoque veram Deum colendi rationem amplectitur & profitetur.

RELIGIO est in genere cultus Dei

*Religio
quid*

ratio; siue a relegendo, siue a religando dicatur.

CHRISTIANA religio est vera verum Deum colendi ratio, Ecclesiae Dei, a Deo, ab initio quidem mundi tradita; at maxime postremis temporibus a Christo clarissime enarrata.

CANON.

Omnis Christianus est religiosus.

RELIGIOSVS est, vel, qui verbum Dei, tanquam normam cultus eius studiose relegit; vel, qui se ad illud fidei synceritate & vitae puritate exprimendum religat.

I. CHRISTIANA proinde RELIGIO primo est VERO, i. recte intellecto Dei verbo consentanea.

Verbum enim illud ἀνοήτως νοούμενον non est verbum Dei. Alioqui verbum est diuinum, non libidine hominis allatum, sed ab hominibus a Spiritu sancto actis exaratum. 2. Pet. 1.

Estque Canon seu regula fidei & vitae Christianae. Ies. 8. Luc. 16.

C A N O N.

Quicquid cum hoc verbo Dei
consentit, verum, rectum & sanctum:
quicquid vero pugnat, falsum, erro-
neum & impium censeri debet.

S V S P I R I V M.

*Imbue me sancte Deus sacris sanctæ
religionis, ut sim religiosus Christianus,
tibi tuoque cultui deditus & deuotus;
Sanctifica me, sancte Deus, verbo tuo: ver-
bum tuum est veritas.*

*Sanctum verbum tuum me semper do-
ceat, instituat, corrigat, redarguat, hor-
tetur, soletur, sapientem me reddat ad sa-
lutem per fidem Iesu Christi. Eloquium
tuum viuificet me; testimonia tua sint ob-
lectationes meæ, sint consiliarii mei, sint
mihi odor vitæ ad vitam, per spiritum
tuum intus me docentem, mouentem &
ducentem, Amen.*

II. SECUNDO Christiana religio
Deo & Christo mediatori suam glo-

riam in solidum illibatam vendicat.

Tribuit Deo suam gloriam.

1. Quod ipse solus sit vnus essentia, trinus personis.

2. Quod ipse solus æternus, infinitus, immutabilis, omniscius, omnipotens, &c. sit,

3. Quod ipse solus omnia recte & iuste decreuerit, effecerit, permittat, gubernet.

4. Quod omnia creata, ipsius solius sint opera, in quibus virtutes & actiones eius elucent.

Tribuit Christo mediatori gloriam, 1. quod sit solus Deus & homo, filius Dei & filius hominis in vnitate personæ, 2. quod sit solus mediator, reconciliator & redemptor noster, Doctor, Sacerdos, & Rex summus noster benedictus in secula, &c.

CANON.

Verus Christianus omnia sua ad Dei & Christi Mediatoris sui gloriam referre tenetur.

S V S P I R I V M.

Creasti, redemisti, sanctificasti me, gloriosissime Deus, imo predestinasti me ad gloriam tuam, fac ut ita Religionem Christianam secter, ut in omnibus tibi tuam tribuam gloriam. Fac, inquam, ut te Deum & Christum meum glorificem interne & externe, anima & corpore. Intellectus meus cognoscat gloriam tuam; Voluntas & appetitus te honoret humilitate, fiducia, inuocatione & gratiarum actione: Corpus meum glorificet te per singula membra, per singulos gestus, per singula verba. Da Deus, ut omnia mea spirant gloriam nominis tui ad salutem meam. Amen.

III. TERTIO Christiana religio in Christianis religiosus efficit tranquillam conscientiam.

Tranquilla CONSCIENTIA Christianorum est, ex infallibili certitudine remissionis peccatorum viteque æternæ, quam spiritus sanctus per verbum vitæ, nomine ipsius Dei, Chri-

Conscien-
tia tran-
quilla
Christia-
norum.

Christianorum mentibus & conscientiis affert.

Pacata itaq; conscientia Christianis testificatur, quod sint filii Dei prædestinati ad vitam æternam. Spiritus enim Dei testificatur vna cum Spiritu nostro, nos esse filios Dei. *Rom. 8.*

CANON.

Veri Christiani conscientia in Christo tranquilla & pacata est.

SUSPIRIVM.

Conscientia mea, O misericors Pater, saucia, impura, & inquieta est. En vulnera, en sordes, en turbas & motus. Christi sacris & militiæ me ipse adscripsi, vt saucia vulneribus Christi sanaretur, impura sanguine Christi mundaretur, inquieta Christi reconciliatione pacaretur. Mi Deus, Mi Deus sana per Christum vulnera, tolle per Christum sordes, seda per Christum, cui me dedidi, tumultus conscientia. Da fidem efficacem, datam auge, & habebo testimonium in me ipso, &

glo.

gloriatio mea erit cum Apostolo, testimo-
 nium videlicet conscientia mea, quod cum
 simplicitate & sinceritate tua, non cum
 sapientia carnali, sed cum gratia tua ver-
 sari cupiam in hoc mundo. Pater sancte,
 da ut coram te fideliter ambulem, & in-
 posterum animo integro, quod bonum vi-
 detur in oculis tuis, efficiam. Amen.

DENIQUE Christiana religio dan-
 te Dei Spiritu piam & sanctam parit
 vitam.

Christianus enim Christiana reli-
 gione edoctus, quod Christus se repe-
 rerit peccati & Satanæ mancipium,
 quodque se non auro & argento, sed
 sanguine suo pretiosissimo redeme-
 rit & saluti asseruerit, exclamat cum
 Propheta. Psal. 116. *Calicem salutem ac-
 cipiam & nomen Domini inuocabo; vota
 mea Iehouæ reddam nunc coram omni po-
 pulo eius.*

Idē audiens Christū amissam Dei
 imaginē suo Spiritu instaurare, exsti-
 mulatur, ut tota vita se Deo gratū præ-

IV.

beat. audit sequiturque illud Aposto-
li Rom. 12. *Precoꝛ vos fratres per mise-
rationes Dei, ut sistatis corpora vestra ho-
stiam viuam, sanctam, acceptam Deo, ra-
tionalem illum cultum vestrum, donec
perfectionem huius beneficii in cœlis a
Christo obtineat.*

C A N O N.

Christianus spiritu Christi sectans
religionem Christianam vitæ studet
sanctimonix.

S V S P I R I V M.

*Adspira, Deus, voto meo. Ex sancta
religione vitæ sanctitatem, O quantum
haurire desidero. Tuum est dare quod pe-
to. Peto spiritum sanctificationis, per quẽ
renoues me ad imaginem tuam. Sim, qua-
so, opus tuum conditum in Christo Iesu ad
bona opera, que preparasti, Deus, ut in iis
ambulem. Emitus sum pretio filii tui, ab-
da mihi vires, quibus glorificem te Deum
in corpore & spiritu meo, ut siue edam, si-
ue bibam, siue aliud quid faciam, omnia
faciam ad gloriam tuam. Fac Deus in
me, ut faciam ista Deus per te. Amen.*

C A P.

C A P. III.

Nomen Christiani gloriosum.

Christiani autem tum *Nomen*, tum *Rem* in vita & morte eius meditari nobis est propositum.

*Christi
nomen
gloriosum
Christi
parisi
pat.*

NOMEN CHRISTIANI est, quo Christi discipulus vocatur, ut dignoscatur.

Estque illud in se gloriosum, Mundo vero odiosum.

GLORIOSUM esse prædixit Iesaias afflatu Spiritus sancti de regno Iesu Christi vaticinans cap. 62. *Videbunt, inquit, gentes iustitiam tuam, & omnes reges gloriam tuam: vocabiturque tibi nomen novum, quod os Domini denuntiabit.*

*Christi
nomen
gloriosum*

Hinc nomen CHRISTIANUM auctorem habet Spiritum sanctum do-

ctorem & Rectorem Ecclesiæ suæ.
 Nam cum antea *Discipuli* appellaren-
 tur *fideles*, narrat *Lucas* primum An-
 tiochiæ fuisse nominatos, & oracu-
 lo diuino dictos Christianos. *Act. 11.*
Rom. 11.

Atque ex quo tempore Ecclesia
 Dei, fines egressa Iudææ, apud diuer-
 sas nationes longelateque sparsa, cœ-
 pit crescere, ista appellatione vulgo
 significata fuit multitudo profiten-
 tium nomen Christi, vt innuit rex
 Agrippa ad Paulum dicens *Act. 26.*
Propemodum persuades mihi vt fiam
Christianus. Et, *1. Pet. 4.* dicitur: *Ne*
quis igitur vestrum affligatur, vt homi-
cida, aut fur, aut maleficus, aut aliena-
rum rerum inspector; sed vt Christianus,
ne pudefiat, imo glorificet Deum in hac
parte.

Gloria porro nominis huius re-
 splendet non modo ex singularis pro-
 uidentia diuinitate; sed præcipue ex
 augusta eius notatione, qua expli-
 catur.

 Appel-

Appellatur enim Christianus a filio Dei Domino nostro Iesu Christo. A Christo deriuatur & deducitur nomen *Christianum*.

*Christi-
nus unde
dicitur.*

De nomine carissimi filii sui Deus ipse nos denominare voluit, idq; *Primum*, vt filio suo Christo arctius & penitius infereremur, ac per baptismum toti consecraremur ac dicaremur.

Deinde, quia omnia ad salutem necessaria nobis a Christo conferuntur, adeo vt dignetur etiã tanta benignitate erga nos esse, vt semetipsum & omnia sua nobiscum communicet. In quo omnes alios hominũ magistros longo post se interuallo relinquit.

Ignat. Epist. ad Magnes. *Simus igitur digni cognomẽto, quod accepimus: Qui n. alio nomine appellatur, p̄ter hoc Christianum, hic non est Dei, nec accepit prophetiã loquẽtẽ de nobis: Appellabitur nomine alio (Ies. 62.) quo Dominus nominabit eũ, & erit populus sanctus. Quod primũ in Syria impletum est. Antiochia n. primũ discipuli appellati sunt Christiani, cũ Petrus & Pau-*

lus fundarent Ecclesiam. C. Tacitus, Annal. 15. *Vulgus Christianos appellabat: auctor nominis eius Christus, qui Tiberio imperitante per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat.*

C A N O N. I.

Quicumque Christianus est & dicitur, cum hoc Christus gloriam sui nominis communicavit, ipsumq; per spiritum suum ad ingentem consecrauit dignitatem.

2.

Omnis vere Christianus communionem habet cum Christo vnigenito Dei filio: adeoq; Christi particeps est factus. *Heb. 3. seu Christi confors est; Psal. 45. Heb. 1.*

Vocat autem nos pater *in communionem filii sui Domini nostri Iesu Christi. 1. Cor. 1. Et nemo potest venire ad Christum, nisi pater traxerit eum. Ioannis. 6. Inhabitat autem Christus per fidem in corde Christiani. Ephes. 3.*

3.

Omnis Christianus Christi con-

fors,

fors, ac communionem gaudens cum filio Dei, & in luce incedens, habet quoq; communionem mutuam cum Deo patre. i. Ioannis. i. *Communio nostra sit cum patre, & cum filio eius Iesu Christo.* Ioannis 14. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & apud eum habitabimus.*

4.

Omnis Christianus communionem spirituali deuinctus patri & filio, communionem quoq; habet cum Spiritu sancto, qui in ipso habitans, ipsum re-generat & ducit, testatur vna cū Spiritu eius, ipsum esse filium Dei, vna subleuat infirmitates eius, interpellat pro ipso suspiriis inenarrabilibus, fortiter corroborat in interiore homine, &c.

Hæcine est admirabilis gloria, Christianos a filio Dei unigenito dictos, habere communionem cum Deo patre, filio, & spiritu sancto!

B

SUSPIRIVM.

Miser ego peccator, quis sum, quo cum
 Omnipotens & unigenite fili Dei, nomi-
 nis tui gloriosissimi communicas gloriam?
 Minor sum omnib. miserationibus tuis.
 Fac respondeam nomini tam Augusto &
 sancto; facies autem, si vñtionis tue re-
 vera me feceris participem, & consortem
 tuum. Veni Domine Iesu, patet tibi cor
 meum; tolle ex eo, si quid obstat, veni &
 habita in eo per fidem, da mihi ius filio-
 rum Dei; Duc me ad patrem mihi per te
 reconciliatum, ut & ipse sit portio mea in
 terra viventium. Spiritus tuus sanctus
 uniat me tibi, renouet me, corroboret me
 in interiore homine, ut sim nouus & Chri-
 stianus homo; hic ipse tanquam arrhabe
 hereditatis meae obsignet me, donec in per-
 fectam libertatem plene vindicet, & ego
 Christianus Christum meum vi-
 deam in sempiternum.

Amen.

C A P.



C A P. I V.

*Christianus Christi unctio-
nis est parti-
ceps.*

CH R I S T I A N V S igitur appel-
latur a Christo. Christus au-
tem latinis est *unctus*. Unctus
enim est instar Prophetæ, Sacerdotis,
& Regis.

Unctio autem Christi duo comple-
tatur. *Sanctificationem, segregationem,*
& ordinationem Christi ad officium &
functionem mediatoris inter Deum & ho-
mines obeundam, ut sit Prophetæ populum
suum docendo, Sacerdos pro populo suo sa-
crificando & orando, & Rex populum suum
regendo & defendendo.

C A N O N. I.

Omnis Christianus in Christo, a

*Christus
latine un-
ctus.*

*Unctio
que com-
pletatur.*

quo appellatur, vñtionem accepit, & Christo per fidem & Spiritum sanctũ, (qui vñtionis nomine significari solet) est insitus.

2.

Vt Christus ad munus Propheticum, sacerdotale & regiũ est vñctus: Ita Christiani per communionem cum Christo, triplicis officii functionem a Deo acceperunt.

Discrimen hic notandum: *Christus functiones Propheticas, sacerdotales & regias primario ac per se obiuit: At vero Christiani quadã analogia & similitudine Propheta, Sacerdotes, & reges nominãtur.*

3.

Vt Christus vñctus est, hoc est, ordinatus, sanctificatus, segregatus ad suum officium: Ita Christianus etiam a Deo sanctificatus, præordinatus & segregatus, ad partes muneris Christiani rite explendas.

SUSPIRIUM.

Benedicte Deus & Pater Domini mei Iesu Christi, qui benedicis mihi omni bene-

dictione

diſtione ſpirituali in Chriſto, a quo appel-
lor, ecce tu me elegiſti & ordinavi in Chri-
ſto, antequã iacerentur fundamenta mun-
di, ad ſancta & inculpata vitæ functiones
coram te ꝑ caritatem obeundas. Concede
quaſo mihi Spiritum ſanctum, qui me to-
tum ſanctificet, ut munus, ad quod me e-
legiſti, commune & proprium, tuæ volun-
tati conuenienter expleam ad laudem glo-
riofæ tuæ gratiæ. Perge me tibi facere gra-
tū gratis in dilecto tuo filio, ut tibi omnes
meas vires, tuo obſequio omnem meam vi-
tam conſecrem, adeoque ſemper ſim laudi
gloriæ tuæ ꝑ Chriſtum Ieſum filium tuū
dilectum. Amen.

II. Vnctio Chriſti completitur ef-
fuſionem & collationem ſuperabun-
dantiſſimã plenitudinis Spiritus ſan-
cti, & omnium donorum eius in hu-
manam Chriſti naturam. Vnxit enim
Deus Chriſtum oleo lætitiæ ꝑ con-
ſortibus ſuis. *Heb. 1.* Neque ipſi Deus
eſt admeſus Spiritum. *Ioannis 3.*

C A N O N. I.

Sicut Chriſtiani cum Chriſto con-

ueniunt ordinatione & segregatione sancta, ad functiones sui sibi delegati officii: ita iidem cum eodem conueniunt effusione & elargitione donorum & gratiarum spiritus sancti.

2.

Omnibus Christianis, ad functiones munerum Christianorum sancte obeundas, opus est sancti spiritus vnctione, gratia, & efficacibus salutari- busque donis. *Sine ipsius numine nihil est in homine, quod scilicet Christum spiret.*

3.

Spiritus habitans in Christo capi- te, habitat quoq; in Christianis mem- bris. *Qui enim spiritum Christi non ha- bet, is non est eius. Rō. 8. Qui agglutina- tur Domino, vnus cū eo spiritus est. I. Cor. 6. Per hoc cognoscimus nos in eo habitare, & ipsum in nobis, quod de spiritu suo dedit nobis. I. Ioannis. 3. & 4.*

4.

At Christo datus est spiritus absq; mensura: Christianis vero datur cer-

ta men-

ta mensura. Discrimina enim donorum sunt in membris, sed idem spiritus. Huic quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alii vero sermo cognitionis per eundem spiritum. Alii fides, alii alia dona & facultates per eundem spiritum. Omnia enim hæc efficit vnus ille & idem spiritus, distribuens priuatim illa singulis, sicut vult.

S V S P I R I V M.

Adscriptus sum in familiam tuam, sancte Domine Iesu, ordinatus & electus ad vitam sanctam; Sanctifica igitur, & ungue me spiritu tuo sancto super me effuso, ut per spiritum filii patrem adire tuum possim. Viuificet me spiritus tuus, & me tibi capiti meo, qui iustitiam, vitam & salutem, cruento corporis tui sacrificio, mihi peperisti, uniat & incorporet, ut per hunc spiritum tanquã diuinũ vinculum, venam & canalem quasi tua iustitia & vita in me deriuetur, imo tu totus meus fias, ut ex te fonte hauriens gratiam bibam, reficiar, confirmer & in te vita

palmas manens fructus feram salutare
 mihi & tibi gloriosos. Amen.



C A P. V.

*Christianus particeps unctio-
 nis Christi, fit quoque parti-
 ceps ipsius Christi, quo
 cum unitur.*

CH R I S T V S Christianos suos
 nō modo gloria nominis sui,
 nec tātum unctioe Spiritus,
 sed etiam sui ipsius communione par-
 ticipat. Hinc *Christianus* a Christo, tū
 quod Christo nomen suum dederit,
 tum quod Christi spiritum participet,
 tum quod Christi ipsius comūnionē
 fruatur, dicitur.

Caput igitur Christiani, Christus
 est; mēbrum corporis Christi, Chri-
 stianus est. Vinculum membrum cū
 Christo capite uniens, membrumq;

*Christia-
 ni caput
 quod*

capit-

capiti conforme reddens est Spiritus sanctus, in capite & corpore eiusque membris habitans. Ait Caput, Ioannis 15. *Ego sum vitis, vos palmites, is qui manet in me, & in quo ego maneo, hic fert fructum multum.* 1. Cor. 12. *Per unum Spiritum nos omnes in unum corpus baptizati sumus.*

C A N O N. I.

In quouis vere Christiano non modo Spiritus Christi, sed ipsa eius etiam Deitas habitat, eumque Christo conformem reddit. 2. Pet. 1. *Maxima illa nobis ac pretiosa promissa donavit, ut per hac efficeremini diuinæ consortes nature, elapsi ex corruptione, quæ est in mundo per cupiditatem.*

2.

Inter quemuis Christianum, & ipsum Christum est conuenientia & vnio humanæ naturæ, qua nostra natura fit cõformis humanæ Christi naturæ p̄ participationē naturæ sanctificatę, Spiritus, afflictionũ & gloriæ hic incoatę, in altera vita consummandę.

SUSPIRIVM.

Sis mihi vitis, ut sim tibi palme, Domine servator Christe, his caput meum, ut per fidem sim membrum corporis tui; ubi me fecisti tuæ unctiōnis participem, fac quoque consortem me tuæ naturæ, ut maneam in me & ego in te, feramque fructum multiplicem. Et Christianum me re ipsa tibi præstabo, nomen tuum confiteor, sistam me tibi vivam gratitudinis hostiam, & in hac vita contra peccatum & Satanam, libera & bona conscientia pugnabo, ut postea tecum glorificer in perpetuum. Amen.

Communicat porro non tantum se ipsum cum spiritu suo Christus credentibus Christianis, verum etiam virtutem & beneficia, sua dona, & bona parta, meritum & efficaciam suam. Hinc ipse Christus nobis a Deo dicitur factus, *sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio.* 1. Cor. 1.

Hinc itaque dependet participatio iustitiæ, sanctitatis & glorificationis a capite Christi in membra deri-

uata

uatae & deriuandae: Vt quicquid Christus virtutis habet, id simul etiam sit membrorum, scilicet fidelium Christianorum, quatenus cum capite suo coniunguntur.

C A N O N. I.

Omnis Christianus, qua Christianus, a Christo comunicante, per spiritum sanctum & per fidem participat meritum & efficaciam ipsius, aliaque dona, tum ad salutem, tum ad vocationem suam necessaria.

2.

Christianus, quia ex vnione cum Christo redditur sanctitatis & iustitiae particeps, quicquid habet & agit boni Deo placentis, id acceptum referat capiti suo Christo. *Manete, inquit Ioannis 15. in me, & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite: ita nec vos, nisi in me manseritis. Item: Sine me nihil potestis facere.*

S V S P I R I V M.

Te nisi habeam fons omnis boni Iesu

benedicte, nihil sum, bonique nihil habeo.
 Da mihi temetipse, & omnia diues habue-
 ro. Tuum est dare, meum est petere & acci-
 pere. Sis igitur largus in me communica-
 tor, & ego ero promptus participator. Te
 ipsum cum Spiritu tuo mihi si communi-
 caueris caput & vitem, ego membrum &
 palmes particeps reddar omnium tuorum
 beneficiorum. Extende manum tuam gra-
 tia ad me miserum peccatorem, & ego tua
 gratia adiutus manum imbellem fidei meae
 ad te tuamque gratiam porrigam, ut ex ma-
 nu gratiae per manum fidei, mouente Spi-
 ritu gratiarum, accipiam benedictiones
 corporales & spirituales, ipseque maneam in
 te, mouear in te, viuam in te, & tu in sem-
 piternum in me manens & viuens me mo-
 ueas & agas, ut tandem ad gloriam
 tuam perductus veniam.

Amen.



C A P. VI.

*Christianus Christi & un-
ctionis eius particeps adscitus
est in societatem nominis
& honoris Prophe-
tici.*

CH R I S T V S est unctus ad
munus Propheticum, Sacer-
dotale & regium: Et per cō-
munionem cum Christo & unctio-
ne eius, triplicis huius muneris functio-
nem analogice accipit omnis Chri-
stianus.

Primo Christus ab æterno patre
ad officium Propheticum unctus &
missus est, vt doceret & instrueret ec-
clesiam suam iis, quæ ad salutem sunt
necessaria.

Deut. 18. Act. 3. *Prophetam suscita-*

*Christus
est un-
ctus.*

*Cur ad of-
ficium pro-
pheticum
unctus.*

bo eis e medio fratrum ipsorum, sicut tu es,
 & in dān verba mea ori eius, ut eloquatur
 eis, quicquid p̄cepero illi. Hinc apud Ies.
 Christus dicitur, angelus & interpres
 magni consilii, quem Deus ordinavit testē
 populis, ducē & magistrum populis dedit.
 cap. 55. Et c. 62. Ipsemet Dei filius de sese:
 Spiritus Domini Iehoua super me, ideo vn-
 xit me Iehoua, ut predicarem mansuetis,
 medelā afferrē contritis corde, promulgarē
 captiuis liberationē, publicarē annū bene-
 placiti. Pater de cœlo de hoc Prophe-
 ta testatur Mat. 3. Hic est filius ille meus
 dilectus, in quo acquiesco: hunc audite. E-
 uangelista ait: Deum nemo vidit vn-
 quam: unigenitus ille filius, qui est in sinu
 patris, ille nobis exposuit.

CHRISTVS autē omnium Pro-
 phetarum vocationi & muneri con-
 firmationem, complementum, de-
 clarationem attulit.

Christi prophetia continet omnes
 sapientiæ & perfectionis numeros.
 Ab hoc munere dicitur λόγος & æterni
 patris.

Christi
 Prophetia
 qualis.

Et

Et quidem sanctus est Prophetico officio; aut coram in propria persona suos auditores erudiendo & instituendo; aut Instituendo & conseruando ministeriū, primo quidem in Apostolis, postea in Apostolorum successoribus. & ministris noui testamenti.

Docuitq; aut de reb. presentibus. ad salutē credendis, aut faciendis; tū patefaciendo Euangeliū; tū interpretādo legē: aut de reb. Futuris p̄dicendo.

C A N O N.

Christus caput nostrum est vnctus Propheta & Doctor, vt & nos edoctos a se vngeret Prophetas & Doctores.

S V S P I R I V M.

Christe Angele magni consilii & sapientissime, vncte ad docendū mansuetos. potēs in opere & sermone corā Deo & omni populo, discipulus ego tuus sum, discā, doce me, & docebo alios ipse Propheta. Te filiū Dei dilectū in s̄^o audiā, aperi aures, illumina mētem, discussa eius caligine. Tu vnicus Rabbi & Magister meus es, Iesu p̄ceptor miserere mei, & patrē tuū mihi reuela, ei⁹ q̄

voluntatem doce me, ut sciam, faciam, aliosque doceam. Da mihi os & sapientiam. Pastor meus es, ego ouicula tua, congrega me in brachio tuo, leua me in sinu tuo, foras me ipse deporta, errantem reduc, & pasce in pascuis tuis. Me cæcum illumina, mihi tristi pacem euangeliza, non tantum ostende viam mihi, sed etiam deduc me, & fac ut ambulem viam mandatorum tuorum. Amen.

CHRISTIANVS omnis, a Christo dictus, est vnctus Propheta, quatenus alios tenetur de Christo docere, fratres instituere, consolari, & deniq; Christum coram Mundo constanter confiteri.

Proinde nomini Prophetico respondeamus, quippe non sufficit scire nos esse baptizatos, (in quo solo multi Christianismum collocant) sed vt postquam doctrinam summi nostri Prophetæ intellexerimus, amplexiq; fuerimus, eandem alios porro pro ratione vocationis doceamus, & in ea confirmemus. Vt Christus ad Petrum

ait

ait, Mat. 10. *Tu conuersus, confirma fratres tuos.* Deinde, si necesse sit, vt Christum eiusque doctrinam libere & intrepide, coram Principibus a deoq; quibusuis, de ipsa nos interrogantibus, profiteamur. *Mat. 8.*

C A N O N. I.

Omnis Christianus, iure muneris Prophetici sibi a Christo communicati, tenetur cognoscere & agnoscere Deum, Dei voluntatem, & Christi Magistri sui doctrinam. Quod quis non habet, alii dare non potest. Et quæ quis non nouit, quomodo docere alios potest?

2.

Veri Christiani semper instructi ac parati sint, ad sese inuicem docendum, quatenus id vocationis & conditionis ratio ab vnoquoque exigere videtur.

3.

Non tantum publici religionis Christianæ & diuinæ voluntatis Interpretes ratione ordinarii muneris: sed

C

etiam Christiani Magistratus ac gubernatores, qua Christiani, sint Prophetæ, amore Dei & pietatis studio ardentes, præ omnibus purã verbi diuini doctrinã, in Ecclesias inuehi curent, eamq; tueantur, seruent, subditis suis commendent, & vndique in salutem omnium disseminari contendant.

4.

Parentes item & Præceptores, qua Christiani, strenue docendi studio iuventutem in vera Dei ac diuinæ voluntatis cognitione, in saluifica fide, in pia erga Deum obedientia educare iure Prophetici sui muneris tenentur. *Eph. 6.*

5.

Priuatus etiam quiuis Christianus est vnctus Dei Propheta, cui officium docendi, corrigendi, consolandi proximum suum incumbit. Cum n. diuina lege iubeamur, tum bouẽ proximi aberrantem domũ eius reducere, tũ asinum oneri succumbẽtem erigere; quãto magis vult Deus, vt ipsum pro-

ximũ

ximū nostrū docendo, ducendo, monendo, arguendo, cōsolando in rectā salutis viam, si ab ea deflexit, reducamus, & pōdere peccatorū animo deficientem, ac desperatione debilitari incipientem, consolatione excitemus atq; erigamus. 6.

Omnis deniq;, Christianus, qua vnctus Propheta, agnitū Deū, agnitāq; Christi veritatē fidelitate & cōstantia confessionis honorare debet. *Quisq; cōfitebitur me corā hominib. inquit Christus Mat. 10. Confitebor & ego eū coram patre meo, qui est in cælis.*

S V S P I R I V M.

Verbo tuo docuisti me, Iesu, Doct̄or veritatis, sanctam fidei & vitæ veritatē, unxisti me in te prophetam, sanctificasti me spiritu & veritate: perge me sanctificare quotidie, vt quotidianas doctrinæ tuæ & cognitionis accessiones faciens & sentiens, eā liberaliter communicando in proximos meos transfundā, multosq; tibi & veritati ad salutem lucrifaciam. (alter.

Scire meū nihil est, nisi me scire hoc sciat

Dedisti ut sciam, da ut faciam, quæ salutariter scio, da ut alios mecum scire & facere efficiam, quæ ad salutem necessaria scitu & factu sunt.

Scire & sapere gratiam tuam, multum est O Iesu: Scire & scitis assentiri, credere disq; inniti, plus est: Scire scienda, credere credenda, facere facienda plurimum est: scire, credere, facere & facere, ut alii sciât, credât, faciant, opus Prophetæ Christiani, plenû Christianæ caritatis. Da ista omnia, & fecisti me actuosum prophetâ. Amen.



C A P. VII.

Christianus Christi & vocationis eius particeps, est adscitus in societatem nominis & honoris sacerdotalis.



CHRISTVS deinde ab æterno patre ad munus sacerdotale vnctus & missus est, ut es-

set

set Ecclesiæ suæ summus & vnicus Pontifex, qui pro ea se offerret seu sacrificaret ac intercederet, adeoque satisfaceret. De quo Psalm. 110. & ad Heb. 7. *Iurauit Iehoua & non pœnitebit eum: Tu es sacerdos in seculum, secundum ordinem Melchisedeck.* Vide plura in Epistola ad Heb.

1. Hic Pontifex pius, innocuus, impollutus & segregatus a peccatoribus, in carne nostra assumpta, omnib. partibus legis diuinæ, tam externis, quam internis viribus, perfectissime satisfecit. Siquidem summo Pontifici olim inter alia etiam custodia legis diuinæ seuerè fuit commendata.

2. Hic Pontifex legi ita obediens, insuper populi sui peccata expiauit, satisfactione pro iis iustitiæ Dei præstita, vt ipse populus a reatu peccati & obligatione ad pœnam æternam liberaretur. Expiatio autem hæc Christi facta est passione & morte eius.

3. Hic Pontifex Christus præstitam a se satisfactionem efficaciter nobis

credentibus Christianis applicat, ut ea per fidem nobis tam fiat propria, ac si ipsi eam in propria persona præstitissemus; Confert beneficia passionis & morte parata; conseruat beneficia ex persoluta satisfactione fluentia.

4. Denique hic Sacerdos noster Christus intercedit pro populo suo, dum se tãquam mediatorem & satisfactorem æterno patri pro ipso sistit; Dum pro nobis etiam spondet, fore scilicet, ut præstitæ satisfactionis memores, peccatum per ipsius gratiam vitemus, ne Deus a nobis denuo lædatur & offendatur: dum demum (o quantum beneficium!) per spiritum suum in nobis excitat voluntatem & studium vitandi peccata, & Deum patrem non amplius offendendi: simul etiam accendit ardentem gemitum, quibus peccata & imbecillitatem nostram deploremus & deprecemur.

SUSPIRIUM.

SUMMA.

Summe & vnice Sacerdos populi tui Iesu
Christe, Christianus ego, de populo tuo in-
gemiscens tibi supplico, vt, quia miseri-
cors es & fidelis Pontifex apud Deum, fra-
tribus tuis per omnia similis, absque pecca-
to, respicias me oculis misericordiae tuae, &
tollas e carne mea, legi tuae inobediente,
cor saxeam, & des cor tui reuerens, quod-
que studeat te diligere & in viis tuis in-
cedere. Pro me te ipsum dedisti pretium
redemptionis, expiasti peccata mea, pas-
sione & morte tua: Da fidem efficaciter
te $\lambda\acute{\iota}\tau\epsilon\sigma\upsilon$ meum apprehendentem, & in te
Iesu meo suauiter pacataq; conscientia ac-
quiscentem, vt per eam mihi propria fiat
& mea sit tua satisfactio. Qua acqui-
sisti beneficia sanguine tuo, in me,
quem redemisti eodem sanguine, cōferre &
collata conseruare dignare. Intercessor &
aduocatus meus es apud patrem. Siste te æ-
terno patri, quem offendi, tanquã perfectũ
satisfactorem meũ, eumq; mihi reconcilia.
Sponsor meus es, sponde pro me ac interpo-
ne fidẽ tuam. Sed Domine Iesu, suffice vo-
luntatem & vires præstandi & seruandi

datam fidem. Nisi tu per spiritum tuum sanctum in me excitaueris voluntatem & vitandi peccata studium, non possum non labi, hallucinari, peccare. Sentio legem peccati in membris meis, reprime, Iesu, & concede resipiscendi & resistendi vires. Suspirans ingemisco, multas meas infirmitates deploro, inobedientiam & immundiciam meam, deprecor culpam multiplicem; Oro Domine Iesu per passionem & mortem tuam, ut vigore tuæ satisfactionis pro me misero peccatore ores & spondeas, neq; tibi serues, ne in æternum a te Seruatore meo diuellar. Amen.

CHRISTIANVS omnis, a Christo dictus, est vnctus Sacerdos, quatenus seipsum Deo offert carnem mortificando, ac sacrificia precum & laudum eidem præstando, Eleemosynas etiam largiendo, & denique omnium generis calamitates patienter ferendo. Rom. 8. Quos enim prænouit, eosdem etiam prædestinauit conformandos imaginis filii sui, ut is sit primogenitus inter multos fratres. 1. Pet. 2. Vos estis ge-

nus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus quem sibi Deus ut propriū vendicat, ut virtutes predicetis illius, qui vos vocavit e tenebris, in admirabilem lucem suam.

C A N O N. I.

Omnis Christianus, qua Christianus, est Sacerdos Deo sanctus, ideoq; sacerdotali nomini & muneri respondere debet, Deo suo sacrificando & orando.

2.

Omnis Christianus, iure muneris sacerdotalis sibi a Christo delegati, tenetur SEIPSUM, hostiam viuam, vero spiritu vitæ præditam, acceptam Deo, adeoque spirituale sacrificium Eucharisticum Deo suo offerre.

Consecremus itaq; corpus & animum nostrum Deo nostro, veterem Adamum & carnem nostram una cum deprauata natura & sceleratis cupiditatibus crucifigamus & mortificemus, carni & peccato moriamur, in noua vita ambulemus, vera fide patientiaq; crucem Christi nostri se-

feramus. Paulus inquit: Exeamus ad eum extra castra, probrum eius ferentes. Sicut enim Christus iussu patris sui Mundum hunc repudiavit, & semetipsum totum patri suo obtulit: ita & nos Deo nostro devotos consecremus, illi nos totos dedamus, & propter illum omne genus ignominia, exsilia, & erumnas sustineamus, & neququam Mundo configuremur, nec per illius illecebras a Deo dimoveamur.

3.

Omnis Christianus, iure muneris sui Sacerdotalis, die ac nocte Deo suo tenetur offerre sacrificium piæ & fidelis orationis. Hinc Paulus: Per ipsum ergo offeramus semper hostiam laudis Deo, scilicet fructum labiorum confitentium nomini eius. Et Psalmo 50. Immola Deo laudem, & redde altissimo vota tua. Et invooca me in die angustia, &c.

Sacrificium autem hoc orationis, cordis & oris, est soli Deo offerendum. Huic quippe soli sacrificandum est.

1. Christianus itaque Sacerdos soli Deo litat, eumque adorat, in quem credit.

Deinde sacrificium precum nostrarum est per Christum Deo patri offerendum, ut in quo placatus est Pater, & ob quem etiam preces nostras benigne excipit, cum eum aduocatum & mediatorem nostrum ordinarit.

2. Christianus itaque sacerdos preces suas in solius Christi nomine ad Deum patrem fundit. Hic altare eius.

Tertio, ut Sacerdotes vet. testamenti quotidie suffimina conficere debebant: Ita, docente Apostolo, Christiani Sacerdotes semper & assidue Deo suo preces suas sancte sacrificando offerre debent.

3. Sacerdos Christianus semper sacrificare, orare, quærere, pullare, & sancta pertinacia in precando perseverare debet.

4.

Omnis Christianus sæpius Sacramento Eucharistias (q̄ veteres vspiã

+

Sacrificium appellabant) pie vtitur in gratam memoriam mortis Christi, ad fidei suæ confirmationem. Mandauit enim suis hoc ipsum Christus, *vt quotiescunq; de hoc pane comedant, & ex hoc poculo bibant, annuntient, vel celebrent mortem eius, donec veniat.*

5.

Omnis Christianus Eleemosynas libenter erogare debet, quæ sunt tales victimæ, quibus maxime delectatur Deus. Christianorum igitur sacrificium quoq; est *Beneficentia* pauperibus impendenda, de qua Paulus: *Beneficentia & communicationis ne sitis immemores.* Talibus enim hostiis delectatur Deus.

6.

Christianus Sacerdos seipsum, vitam & sanguinem suum si necessitas exigat, pro Christo summo suo sacerdote fundere & deuouere non dubitat.

Si enim ille, qui magis amat se & sua quam Christum, non est ipso Christo dignus,

dignus,

dignus, certe is dignus Christo Christianus est, qui paratus se pro Christo viuum & mortuum offerre.

S V S P I R I V M.

Consecra & sanctifica me Christe, tibi Sacerdotem placeat, ut me totum tibi matrem ac litem. Spiritus tuus doceat me voluptates Mundi huius relinquere, peccata effugere, scelera detestari, a carnis obsequio & indulgentia discedere, & me tibi soli approbare. Fac Iesu saluator, ut corpus meum tibi sistam hostiam viuam & sanctam, ut probem, quae sit voluntas tua bona, accepta & perfecta. Da mihi spiritum gratiae & precum, ut Deum recte agnitum in tuo nomine semper inuocem sacrificem que non tantum pro me, sed etiam pro aliis imo hostibus meis deprecando. Utinam tibi, utinam sibi, mi Christe redemptor officia gratitudinis, cultum & obedientiam debitam exhibere ubiq; possim. Annue votis, ne sint irrita; Voluntas obediendi mihi adest: at vires prestandi obedientiam, quam volo, in me non deprehendo. Tuum itaq; est eas petenti & volenti concedere.

Flecte in super cor meum, ut diligam proximum meum sicut meipsum, ut & illi hostiam gratitudinis, seu potius beneficentiae propter te Christum *ἑσθῆν* meum, incomparabilem offeram. Da denique ut totum me cum corpore & animo tibi, qui mihi te totum impendisti, impendam. Amen.



C A P. V I I I.

Christianus unctionis Christi particeps, in societatem nominis & honoris Regni adscitus est.

CH R I S T V S denique ab æterno patre ad Munus Regium unctus & missus est, ut regnum redemptione partum administret & tuatur. Ego, inquit Iehoua

Psalmo

Pfalmo 2. *inungens regem meum praefeceram Syoni monti sanctitatis meae.* Mat. 21.

Ex Zach. 2. *Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, & insidens asinae ac pullo filio subiugis asinae.* Angelus apud Luc. cap. 1. dicit: *Regnabit super domum Iacob in aeternum, & regni eius non erit finis.* Heb. 1. *Thronus tuus, O Deus, in seculum seculi, sceptrum rectitudinis, sceptrum regni tui, dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo letitiae supra consortes tuos.*

1. Rex hic CHRISTVS, Diabolum, peccatum & mortem potenter debellavit, & sibi suisque membris subiecit.

2. Liberatus ab omnibus infirmitatibus animi & corporis, quas nostri causa in se susceperat, iam non amplius sitit, esurit, defatigatur, dolet, patitur, moritur. Glorificatione totam suam humanam naturam plene perfecit; & post victoriam triumphum egit de omnibus hostibus suis.

3. Idem Rex occupavit regnum suum potenter & gloriose, ascendendo in

coelum, & sedendo ad dexteram patris, nactus summam gloriam, potestatem ac dignitatem, tum ad reprimendos hostes sui regni, tum ad conservandum regnum suum, tum ceteris legibus, tum etiam donibus seu donis.

4. Occupatum regnum iam administrat Rex Christus legum tum *Præscriptione*, tum *Executione*.

Externe quidem Christus rex subditis suis certas credendi & viuendi leges per verbū ac ministerium præscribit.

Interne vero per spiritum sanctum præscriptas leges explicat, & vires largitur subditis suis, vt eas possint seruare.

Exsequitur leges latis tum per præmia, quæ conferuntur in eos, qui verbo & ministerio a Christo instituto obtemperant: tum per pœnas, quas violatoribus legis suæ, adeoque contemtoribus verbi & ministerii sui infligit.

S V S P I R I A.

Fili Dei, Rex regum, & Domine dominantium, regeme ut rex mansuetus, iustus, saluans, rex iusticie & pacis, ut ipse sim rex imperans bene mihi & omnibus meis. Tu nisi me rexeris, meus meorumq; rex ero ne utiquam. Veniat ad me regnum tuum, regnum iusticie, pacis & gaudii in spiritu sancto. Multiplicetur imperium tuum in me, ut pacis tue pars per victoriam tuam in me non sit finis, firmeturq; thronus tuus in corde meo in perpetuum, ibi solium tuum, in quo sedeas & regnes. Atq; unge me oleo leticie tue. Pactum pacis mecum facias, ut pessime terrarum bestie me non amplius arrodant; da sanctificationem tuam in medio mei, Princeps regum terra, dilexisti me; lauisti q; me a peccatis sanguine tuo, agne: proinde pro redempta oue pugna, ut sim fidelis tibi ad mortem usq; & coronam adipiscar vite eterne per regiam victoriam, triumphum, & gloriam tuam. Amen.

CHRISTIANVS omnis, a Christo dictus, est vnctus Rex, quatenus

D

per fidem luctatur cum tentationibus
 Diaboli, Mundi & carnis, quatenus
 eosdem hostes debellat & vincit, &
 quatenus denique illi per Christum
 restitutum est ius & dominium in
 omnes creaturas, legitime vsurpan-
 das. Ioannis 16. Christus ait: *Confidite,*
ego vici mundum, hoc est, non tantum
mea hac est victoria, sed etiam vestra, qui
mea communionem fruimini. Matthæi 19.
Sedebitis super thronos duodecim, & iudi-
cabitis duodecim tribus Israel. Per officii
Regii communionem mecum eritis iudi-
ces Mundi. 1. Cor. 6. *An nescitis sanctos*
Mundum iudicatueros, non in se & per se,
sed per communionem cum officio Christi
regio.

Cum itaq; per Christum reges fa-
 cti simus, pugnemus in hac vita con-
 tra Peccatum, Mundum & Satanam,
 libera & bona conscientia, neque no-
 stra ignavia fieri patiamur, vt pecca-
 tum regnet in mortali nostro cor-
 pore, vtque nos Diabolus sibi sub-
 iuguet: Sed fortiter illi resistamus

per

per fidem, & regis nostri fortitudine
inuieti perstabimus, & spirituales eius
diuitiæ in nos exuberabunt.

CANON. I.

Omnis vere Christianus est Rex
a Christo consecratus, ideoque re-
gio honori & muneri respondere de-
bet, seipsum sancte regendo & tuen-
do.

2.

Omnis Christianus Rex pro regia
sua auctoritate & maiestate regnat,
libertatem filiorum Dei, in quam as-
sertus est, amat, fortiter defendit, in ea
persistit, nec rursus peccati seruitu-
te, qua nulla fœdior aut miserior est,
se opprimi patitur. Vt enim Rex regi-
um nomen & decus amittit, quam
primū alterius potestatem subire co-
gitur: Ita & nos summam Christiani
nominis & decoris gloriā, & illustris-
simā regii muneris nostri maiestatem
p̄dimus, simul ac per socordiā & secu-
ritatē nos rursus a peccato vinci, ac in
Diaboli seruitutē detrudi cōcedim⁹.

vnusquisq; enim, teste Apostolo (1. Pet. 2.) eius seruus & mancipium est, a quo superatus est.

3.

Omnis Christianus, iure regii officii, Christianæ militiæ peritus, ad vincendos & debellandos hostes, sine quibus regnum non administratur, armatus esse debet: Fastigium regni maiestatis suæ non tuebitur, nisi prudenter bellum contra hostes suos gerere possit, & eos, exoscente rerum difficultate, potenter arcere, propulsare & fundere valeat. Hostis autem Christiani est verus, Satan, Caro, Mundus, aliquando putatiuus ipse Deus probans.

4.

Christiani Regis est, vbi libertatem in Christo adeptus, & auxilio eius hostes propulit, semetipsum regere & moderari, ne iterum a veritatis & salutis via transuersus abripiatur. Hic opus suppetiis Spiritus sancti. Eiusdem igitur est non abuti libertate Christia-

na

na, vt arbitrio carnis indulgeat, sed lege Dei studia sua metiatur, regulæ Christi se submittat, ac secūdum eam suam vitam transigat.

5.

Christiani est suos, quos suæ fidei commissos habet pro virili tueri, & illis cauere, ne a Diabolo & mundo circumuenti capiant animæ suæ detrimentum. Proinde alter pro alterius salute assiduis supplicationibus excubat, necessitates, pericula & damna, Deo exponit, petitque conseruationem. Atque ita alter alterius diligentem rationem habere tenetur iure huius officii, & caritatis Christianæ.

6.

Christiani regis est, esse mansuetum, clementem, liberalem & promptum ad omnibus gratificandum & subueniendum. Ius humanitatis hoc exposcit, exigit idē cōmunio illa spiritualis, qua omnes sub Christo capite membra vnus corporis, & vnus duntaxat patris liberi sumus, atque

Christus ante omnia caritatem a nobis requirit.

7.

Omnes & soli ii, qui Christo tanquam Regi & Domino creaturarum vniti sunt, recuperarunt ius illud vtendi, fruendi creaturis, quod propter lapsum primorum parentum amiserant, ita vt nunc bona conscientia, cibo, potu & aliis creaturis vti possint, tanquam per Christi communionē illis sanctificatis. Omnia enim pura puris.

8.

Omnis Christianus Rex tandem omnibus hostib. Christi gratia & potentia domitis, æterna beatitudine & gloria fruetur: adeoque regnum cæleste (quod virtute spiritus Christi in hac vita incoatur in nobis, quodque iam possidemus per fidem) plena tandem possessione occupabit. Dicitur illis a Christo: Possidete regnum paratum vobis a iactis fundamentis mundi.

Sv-

S V S P I R I A.

Rex Christe, me Christianum spiritu tuo sancto rege, ut munere meo regio sancte defungar, vehementer annitar, ut libertatem filiorum Dei, a te acceptam tuear, ne a peccato vincar & vinciar, siamq; peccati seruus. Confirma me robore inuicti, ut imperterritus stem, inuictusque militem aduersus omnes inferorum portas, ac vniuersam tenebrarum potestatem, Diaboliq; tela scuto fidei excipiam & disiecta extinguam. O Christe tu ipse destruis opera Diaboli, contere mox Satanam sub pedibus meis, & fac ut tibi Christo & seruatori meo constanter confidam atque innitar. Deinde largire mihi vires, & sapientiam meipsum in omnibus regendi, moderandi & vincendi. Tuus me spiritus ducat in omnem veritatem & pietatem, tuum verbum sit regula vitæ meæ & lux semitarum mearum. Concede Christianam prudentiã, meæ fidei commissos casta grauiq; disciplina in officio instruendi & continendi, ne liberius & solutius viuendo in diaboli laqueos incidant. Accende ignem

caritatis in corde meo, quo pacifice & benefice omnes proximos meos complectar, ut ipsis omni meo mihi concredito donorum talento in seruiam, eosque pro virili mea iuuem & exadificem. Emunda me membrum tuum sanguine & spiritu tuo, ut omnia sint pura mihi puro. Et tandem de uictis hostibus cunctis euoca me ex vinea hac laboriosa, & ut audire, ceu pars magna, possim, exoro te Iesu Rex & Iudex populorum, optatissimam tuam vocem; Venite benedicti patris mei, possidete regnum paratum vobis a iactis mundi fundamentis.

Amen.



C A P. I X.

*In se gloriosum nomen CHRIS-
TIANI, Mundi tamen
odiis & calumniis
semper fuit ob-
noxium.*

GLORIAM nominis
Christiani, in Christi filii
Dei oleo lætitiæ vncti, di-
gnitate prophetica, ho-
nore sacerdotali, & maiestate Regia
considerauimus: Iam Mundi imūn-
di odium & calumnias, quibus sem-
per nomen illud augustum fuit obno-
xium, attingamus. Hæc fors nominis
Christiani & veritatis cœlestis est, vt
etiam hanc prædixerit Christus Do-
minus suis discipulis, Mat. 10. & Luc.
21. *Et vos eritis odio omnibus hominibus*

propter nomen meum, hoc est, quod mei estis discipuli, quod meæ traditi disciplinæ, nomenque & doctrinam meam amplexi profitemini.

Hoc est odium & inimicitia, quam Deus olim in rerum origine sancivit inter semen mulieris & serpentem seu Diabolum, qui ab eo tempore nunquam desit aduersus eos pugnare, qui in femine illo promisso sperarunt. Et hæc vnica causa est, quod hodie fraternæ dilectionis iura, & omnia cognationis vincula ab-rumpunt homines Mundani, quando propinquos & amicos suos CHRISTO nomen dedisse vident. Cur vero id fiat ipse Dominus docet, quando fratribus, qui ipsum odiose iubebant Hierosolymam ad festum adscendere, inter alia respondit: *Non potest Mandus odisse vos (utpote sui similes) me autem odit, quia ego testor de eo, quod opera eius mala sint.* Et alibi *Mandum ideo damnari & perire dicit, quod tenebras magis quam lucem amet,*

imo

imo quod hanc oderit & persequatur, eo quod opera eius mala arguat.

De odio nominis Christiani ita scripsit Tertullianus cap. 3. Apologeticus: *Odiosissimum est sine causa hoc nomen. Bonus vir Caius Seius, sed malus tantum, quod Christianus.* (Ita hodie Mundus in Germania: *Es ist wol ein gut fromm Mann / aber es ist immer schade daß er ist.*) *Nomen, non crimen in nobis damnatur, & ignotam sectam vox sola prædamnat, quia nominatur, nõ quia reuincitur. Odio est in hominibus innocuis nomen innocuum.*

N O M E N autem Christianum odio & calumniis persecuti sunt profani ac infideles Iudæi, Gentiles, & Turcæ; & iidem etiamnum hodie persequuntur.

I. CHRISTI IESU prodromus Iohannes Baptista etsi summa auctoritate & virtute omnia in functione sua administraret, vt Iudæi ceteriq; omnes, velut attoniti, nihil, q̄ culparent, haberent: cœco tamē furore pergebāt

in suis conciliabulis eum, tanquam Hæreticum, & totius patriæ atq; auitæ religionis turbatorem, damnare. Odio, criminatione & damnatione eum insectabantur, intenti tamen interea in alias occasiones, quibus & vitam eius inuadere, & tam pestiferum (*ipsis*) clamatorem e medio tollere possent.

Præco hic veritatis in odium Regis Herodis incurrit, quod eidem in faciem dixerat: *Non licet tibi habere fratris tui coniugem.* Hinc rex meditatus cruentam vindictam tandem Ioannem capite mulctavit.

Ipsæ Magister & Seruator noster Iesus Christus longe acerrimos habuit hostes. Miris infidiis adoritur ipsum Satan. Hinc eius organa, Sacerdotes summi atque infimi, Scribæ, Pharisæi, eorum ministri, seniores populi, ac reliqua turba, superiorum exempla secuta, interitû Christo comminantur & moliuntur. Carnifex Baptistæ Herodes tendit eidem infidias.

dias.

dias. Iudas discipulus proditor tradit eum in manus carnificum. Quoad modum persecutionis, insidiosis questionibus cum Christo hostes conflantur, vocant eum *Samaritanum*, obsessum a Diabolo, in nomine Beelzebub eiicientem Dæmonia, helluonem, publicanorum amicum. Hinc excommunicatus fuit a Synagoga cū omnibus sibi adhærentibus, &c.

3. Apostoli & discipuli Iesu Christi quam sint experti sortem, haud obscure docet Christus cum inquit: *Ecce ego mitto vos & oves in medio luporum. Cauete ab hominibus: tradent enim vos in confessus, & in Synagogis suis flagellabunt vos. Sed & ad præsides ac reges ducemini mea causa. Tradet frater fratrem ad mortem, & pater filium, insurgent liberi in parentes, & morte mulctari eos curabunt. Et eritis exosi omnibus propter nomen meum. Non est discipulus supra Magistrum, neq; seruus supra Dominum suum. Sufficit discipulo, ut sit sicut magister ipsius, si ipsum patrem familias Beel-*

zebus vocarunt, quanto magis domesticos eius. Si me persecuti sunt, & vos persequentur. Hæc vera esse testatur Apostolorum vita fors & mors.

Pontifices & præcipui gubernatores Ecclesiastici insidiabantur cunctis, qui Christo nomen dederant. Onerabant Christianos criminibus, quod essent auctores novæ doctrinæ, euerterent veterem religionis statum, crederent Iesum esse Messiam, essent seditiosi & agitarent peculiare conuentus, vaticinarentur de interitu Hierosolymorum. Hinc Christianos pellebant in exilia, in carceres compingebant, compellebant blasphemare, virgis caedebant, lapidibus obruiebant, capite plectebant. Hebr. 10. de his persecutionibus legimus: *Ingens certamen sustinuitis afflictionum: partim quidem dum & probris, & pressuris affecti spectaculo fuistis omnibus. partim dum consortes ita conversantium facti estis; Siquidem & afflictionum, quæ ex vinculis meis contigerunt, participes fuistis, & direptionem facultatum vestrarum cum gaudio*

acce-

accepistis, scientes potiorem vos habere in vobis substantiam in caelis, ac permanentem.

Tacitus lib. 15. sic refert: Ergo abolendo rumori (scilicet quod Nero iussisset accendi Romam: ut spectaret formam Troiani incendii) subdidit reos, & exquisitissimis pœnis affecit, quos per flagitia inuisos, vulgus Christianos appellabat. Repressaque in praesens exitiabilis superstitio, rursus erumpebat non modo per Iudaeam, originem eius mali, sed per urbem etiam, quo cuncta undique atrocitas aut pudenda confluent celebranturq;. Igitur primo correpti, qui fatebantur, deinde iudicio eorum multitudo ingens, haud perinde in crimine incendii, & odio humani generis convicti sunt. Ea pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contacti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque ubi defecisset dies in usum nocturni luminis urerentur. Vide decem illas Christianorum persecutiones: lege Epistolam Viennensis & Lugdunensis Ecclesiae, lege item Martyrologia: & nominis Christiani fortem miraberis.

SUSPIRIVM.

Domine Iesu Christe, passe & mortue pro me misero peccatore, & iam in cœlis exaltate ad dexteram Dei patris tui, ut pro me appareas & intercedas, Christianum me cruci & odiis mundi huius subiecisti, ut gaudente Mundo plorem & lamenter, oro te per passionem & mortem tuam, ut patientia ac fortitudinis robur per spiritum sanctum imbelli mihi subministres, meque inter odia & calumnias hominum sustentas ac tuearis. Spiritus tuus ubi mihi vires suppeditat, & tua me suffulcit dextera & virtus Christe, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Quid ni enim ferrem, quod imponis, onus? Sanctissimi tui discipuli odiorum & calumniarum, & denique mortis crucem sustinuerunt. Et tu ipse reliquisti nobis exemplum, ut insisteremus vestigiis tuis. Non miror, quod mundus me odio premat suo. Siquidem te Magistrum & Dominum meum prius odit. Omnes etiam qui pie volunt in te vivere, necesse est persecutionem pati. Spurius essem si non particeps essem castigationis

Chri-

Christianis destinata, sim exosus omnibus
Mundi amatoribus, modo tibi sim carus.
Sed secundum verbum tuum Christe susti-
ne me, ut possim sustinere usque ad finem.
Inquis: Pilus capitis vestri non peribit.
Ergo per patientiam possidete animas ve-
stras. Da patientiam & in omni cruce re-
spiciam ad fidei ducem & consummato-
rem te Iesum, qui proposito tibi gaudio per-
tulisti crucem, contempta ignominia, &c.
Et tu consolaberis me, nec sines me tentari
supra id quod possum, imo facies una cum
tentatione euentum, ut possim omnia suf-
ferre. Fac tandem schola crucis egressus
scholam lucis per te ingrediari. Amen.

Sit quidem nomen Christiani, &
veritatis Mundo exosum: nemo ta-
men, qui religionis Christianæ sacra-
mento se obstrinxit, illud odii mun-
dani metu erubescat, aut illius inui-
diam declinet: sed potius eo glorie-
tur, ac triumphet.

CHRISTIANVS es, agnosce
Christum caput, Dominum, Magi-
strum, Prophetam, Sacerdotem &

E

Regem tuum, neque ab eo dici Christianū te pudeat. In nomen & numen Christi Christianus baptizatus es, in cōmunionē Ecclesiæ Christianæ cooptatus es; Contentus igitur nomine Christiano viuas, nec alia nomina a certis q̄busdā hominib. quos tibi magistros & imitādos delegisti, in solefcēs recipe. In solū nomē Christi baptizatus es, aliud q̄ Christianum nomen ne tibi fingas. Christus tuus spōsus est, ab hoc nominare, ama, & cole hunc solū citra riualet. Sponsa Christi, nulli alii præterquam Christo reseruari & adduci debet. Probo marito intolerabile est, si vxor nomē gerat alteri⁹. Christus non patitur, vt quos suo sanguine redemit, & sibi sancto fœdere baptismatis obstrinxit, singularique amore copulauit, & suo nomine decorauit, ii a se illud reiiciant, aut illo non contenti, accepta ab hominib. noua nomina sibi vsurpent, ac vendicent. Psal. 45. inquit: *Attende o filia, & vide, &*

incli-

*inclina aurem tuam, & obliuiscere populi
tui & domus patris tui, &c.*

Paulus, Petrus & Appollo fuerunt
Christiani, & præcipue electi fidelesq;
Christi ministri: Attamen Paulus non
sustinet fieri, vt Christiani, ii qui Co-
rinthi erant, ab ipsis *Paulini, Petrini*
aut *Apolloniani* vulgo appellaren-
tur. Id quod non modestiæ & humi-
litati tantum illorum Apostolorū ad-
signandum videtur, sed multo magis
ardori ac studio defendendæ ipsius
Christi gloriæ, tribui debet. Manifeste
enim Paulus docet, *hoc gloriæ Christi*
derogare, hoc religioni Christianæ aduer-
sari, hoc toti salutis rationi repugnare.
Nam, *obsecro vos fratres, inquit, per*
nomen Domini nostri Iesu Christi, vt idem
loquamini omnes, & non sint inter
vos dissidia, sed sitis coagmentati, ea-
dem mente & sententia. Annuntiatum
enim est mihi de vobis, fratres mei, a do-
mesticis Chloes, quod lites sint inter vos.
Hoc autem dico, unumquemq; vestrū di-
cere: Ego quidem sum Pauli; Ego vero

Apollo; Ego vero Cepha; Ego vero Christi. En Paulus loquitur de iis, qui se etiam Christi esse iactabant, & minime abnegatores eius iudicari volebant. Quid autem istis respondet? Primo dicit: *Num dispertitus est Christus?* quasi dicat, *unus tantum integer & indivisus est Christus, qui omnibus singulisq; fidelibus communis esse vult.* Ille ergo nequaquam eiusmodi factionibus, studiis & sectis est diuidendus, quasi Paulus proprium Christum habeat, Petrus & Apollo alium.

Secundo ait: *Num Paulus crucifixus est pro vobis? Neq; ego, neq; alius quisquam Apostolorum aut Doctorem, sed vnicus filius Dei Iesus Christus pro vobis cruci affixus & mortuus est, ergo dignum & fas est, ut solius ipsius nomen gestemus & profiteamur.* Renuntiat igitur redemptori Christo & eius meritum obscurat, quisquis aliud nomen, quam Christi sibi sumit.

Tertio ait: *Num in nomen Pauli baptizati fuistis? In societatem Christi, eiusq;*

Ecclesia adsciti estis, & in nomen Christi baptizati: Perfidia igitur est, si nomine illius abdicato, aliud vobis arrogatis.

Quarto ait: Si vnus ait: Ego sum Pauli, alter vero: Ego Apollo: nõne carnales estis? Quis ergo est Paulus? quis Apollo? nisi ministri, per quos credidistis, sicut vnicuiq; Dominus dedit. Ego plantavi, Apollo rigauit, Deus autem est, qui dat incrementum. Ergo neq; qui plantat, aliquid est, neq; qui rigat, sed Deus, qui dat incrementum. Quare pendeamus ab vno Dei filio, ei soli deditissimi simus, & gloriã nominis illius commendatissimam habeamus. Nam cum Christus nos eo honore dignatus sit, vt de se Christiani nominemur, non putandum est, aliud vllum nomen ad salutem parandam nobis profuturum. Illius enim vnum nomen tantum est, vt in eo solo debeant omnia genua flecti. Nec ita sanctorum Dei seruorum nomine, licet magno, abuti debemus, vt eo cõcordiam & vnitatem Ecclesiæ Christi disiciamus. Ignatius ad Magnes. Di.

gne nomine Christianorum ambulemus, quod accepimus. Qui enim alio præterquã Christi nomine appellari gaudet, is non est Christi. Athanas. orat. 2. contra Arri. Ecclesia Dei nunquam ab Episcopis suis, sed ab eo Domino, in quem credit, appellari se passa est. Idem alibi: Fides quæ ab hominibus nomen accepit, non est fides Dei.

Nazianzen. ait: Equidem Petrum & Paulum Apostolos Domini, debito prosequor honore: nolo tamẽ Petrinus aut Paulinus nominari. Non enim possum permittere mihi, ut ab ullo homine accipiam nomen, cum a Deo sim conditus & factus.

Epiphanius contra hæres. inquit: Nunquam auditum est Christianorum Ecclesias fuisse a Petro, aut Paulo, aut Bartholomæo, aut Thaddæo nuncupatas. Vnapotius fuit omnium Apostolorum prædicatio, ipsi n. non se, sed Christum Iesum euangelizarunt. Ac proinde omnes Apostoli Ecclesias non suo, sed Christi Iesu nomine insigniuerunt; uti primum Antiochiæ Christianorum nomen appellari cœptum est.

Lactant.

Lactant. lib. 4. cap. vlt. Christiani esse desierunt, qui Christi nomine amisso, humana & externa nomina induerunt, & in parte litigant, vt totum perdant.

Luther. Tom. 2. Vvittemb. Germ. fol. 4. Non sic, o fatue; audi aduertens animum. Primum oro, vt meum nomen taceatur, & nemo Lutheranus, sed Christianus appelletur. Quid est Lutherus? Atqui doctrina non mea est, neq; pro quoquam sum crucifixus. Sanctus Paulus 1. Cor. 2. nolebat pati, vt Christiani dicerentur Paulini & Petrini, sed Christiani. Vnde igitur mihi fœtido vermium sacco hoc accideret, vt filii Christi, a meo vilissimo nomine denominentur? Absit o amici. Deleamus schismatica nomina, & denominemur a Christo, cuius doctrinam habemus.

SUSPIRIUM.

Sacris tuis, Iesu Christe, sum initiatus, sum imbutus, in tuum nomen sum baptizatus, in tuum numen credo, Te vnicū Magistrum & Dominum & sponsum meū

agnosco & colo discipulus, seruus & sponsa. Tu caput meum, ego membrum sum corporis tui, tu Doctor, Sacerdos & Rex meus es. Tuo nomine letor, glorior, triumpho. Sufficit me esse a Christo & in Christo Christianum: alius nomine ut mihi non opus, ita nec gaudeo, nec patiar me denominari. Et tu O Christe, cuius in nomen & numen iuravi, custodi & rege me spiritu tuo, ut te solum secter, a te solo pendeam, nec patiar me magnorum Doctorum & Magistrorum splendore aut nomine seduci. Tuus ego sum, sis meus. Iesus meus es, serua me in hoc mundo. Christus meus es, forma firmaque me germanum Christianum. Dominus meus es, impera, & da imperata seruo tuo. Dñy & meus es, doce me, p̄ te fac mihi mysterium salutis: Ego te audiam, intus loquentem. Immanuel meus es: Sis manea s̄q; mecum, nec vllum peccatum meum faciat inter nos diuortium. Lux mea es, collustra oculos meos, ut te videns sequar, nec ambulem in tenebris. Pastor meus es, audio ouicula tua vocem tuam, pasce, sana, serua me. Sis

deniq;

deniq̄ mihi via, vita & veritas, ut aeternam tua gloria potiari in caelis tecum. Amen, Amen.



C A P. X.

De ἐζωία Christiani.

Christianus vitam suam vivit per fidem Christi recte conceptam & fundatam.

H A G T E N V S ex nomine Rem Christianam deduximus; Iā ex ipsa re Christianum aestimantes, hominis Christiani vitam & mortem considerabimus.

VITA CHRISTIANI dicitur ἐζωία, quam sequitur ἐνδυνασία; hanc vero insecutura est ἀδυνασία.

Vitam Christianus viuit per fidem Christi, secundum regulam Christi. Hic itaq; duo meditabimur, *Fidem & Regulam vitæ Christianæ.*

Primum CHRISTIANVS viuit per fidem, vt saluus fiat per fidem. Gal. 2. *Vitam quam viuo in carne, viuo per fidem filii Dei, qui me dilexit, & semetipsum pro me tradidit.*

Fides igitur hæc est V I V I F I C A & S A L V I F I C A.

Cuius tum est F O R M A T I O, tum M O D E R A T I O.

F O R M A T I O, qua in Christiano per spiritum S. formatur.

M O D E R A T I O, qua vt Magistra vitam Christiani moderatur.

Formatur fides in Christiano tum N O T I T I A, tum F I D V C I A.

I. N O T I T I A debet esse verbi Dei, quod accurate notandum ac obseruandum. Verbum Dei recte intellectum fundamentum est fidei Christianæ vnicum. Hinc super funda-

mento

mento Prophetarum & Apostolorum fundatur fides Christianorum.

In verbo autem Dei cognoscendo considerat Christianus

1. MANDATA, quæ docent obedientiam.
2. MINAS, quibus inobedientia coercetur.
3. PROMISSIONES, quibus persuadetur & confirmatur obedientia.

PROMISSIONES autem sunt duorum generum in verbo Dei.

I. In *quibusdam* Deus promittit & offert iustitiam & vitam æternam per Christum. Hæ continent fundamentum remissionis peccatorum, patientiæ, auxilii spiritus sancti & omnium donorum, quæ cum fide inseparabiliter cohærent.

II. *Aliæ* sunt de liberatione è tentationibus. de securitate in periculis, de sanitate, libertate, pace, &c. quæ omnes sunt intelligendæ cum exceptione crucis & castigationis; Et eatenus implentur, quatenus inserviunt gloriæ Dei

& Christianorum salutem. Hæ partes verbi Dei omnes & singulæ sunt suo modo nobis cognoscendæ & dignoscendæ.

C A N O N.

Christianus illuminante se spiritu veritatis verbum Dei recte intellectum agnoscit verum, approbat bonum.

S U S P I R I U M.

Cum fieri non possit, Domine Iesu, ut Deo quis absque fide placeat, & quicquid absq; fide sit, peccatum sit, forma in me fidem sanctam, qua formetur in me vita sancta. Illumina oculos mentis mea per spiritum sanctum, ut lucem verbi & veritatis tuæ splendentem videam, verbum vitæ recte audiam, intelligam, cognoscã, adeoque cor meum semen verbi tui concipiat, & conceptum conseruet. Affunde rorem cœlestis benedictionis & da concepto semini incrementum. Da ut ex mandatis tuis me componam ad obedientiam Christianam: Ex minis, terrore pœnarum concussus omnem inobedientiam horreã: ex promissionibus hauriam promptam obe-

dien-

diētia & alacritatis succum & dulce efficiacium in tentationibus consolationum Nepenthes. Ex verbo, quod procedit ex ore tuo, fac viam. Tu Iesu habes verba vitæ æternæ: Viuifica me secundum verbum tuum, & viam non amplius ego, sed tu Iesu per fidem in corde meo, sistamq; me Deo meo totum, hostiam viam & sanctam. Amen.

II. Formatur fides saluifica in Christiano per **FIDUCIAM**, qua Deo ex verbo eius agnito iuxta verbum agnitum approbatum ficit, eiq; adhæret.

Hinc **OBEDIENTIA FIDEI**, quæ Paulo dicitur, Deo præcipuum honorem tribuens, dum nudo eius verbo obediēter credit, adeoq; re ipsa confitetur Deum veracem.

Fidendo itaq; verbo Dei **CHRISTIANVS** Deo gratam præstat obediētiā, quando quodammodo oculis occlusis simpliciter Deo ficit iuxta verbum ipsius (at recte ubiq; intellectum) eoque se regi patitur. Hic oportet nos esse non *Thomas*, sed *A-*

7.
C.

brahamos. Thomas naturam sequendo primum tangere, deinde credere volebat. At Abrahamus Deo credidit contra spem in spem. Sic Christianus Deo fidit, etiam vbi rationi & sensui contrarium videtur illud, quod dicit.

Deinde CHRISTIANVS Dei verbo credit per se, quia verbum Dei est, omnibus carnis considerationibus sepositis. Præterea fidit Deo, non quoad partem tantum, sed iuxta totum illius verbum. Credere etiam Deo suo satagit ex toto corde, vt illud altas radices agat, & sit verbum insitum. Insuper honesto corde fidit Deo, in quo firmum sit certumque propositum, non peccandi, sed in omnibus actionibus Dei voluntatem faciendi. Denique constanter fidit Deo verus Christianus, & perseuerat in fide Christi vsque ad finem.

CANON. I.

Christianus certa fiducia, a spiritu sancto excitata, in vera verbi diuini

fibi-

sibi ipsi facta applicatione, certus de salute sua, acquiescit.

2.

Christianus ex fide per spiritus S. ἐνέργειαν sanctæ studet obediētiæ, concipitq; pacem conscientiæ & diuinæ erga se gratiæ certitudinem.

S V S P I R I V M.

Per fidem vivere tibi, O mi Deus unice desiderat anima mea, oro itaque te per fidem tuam, ut cor meum accendas vivificante fide, tuo verbo simpliciter credam & regi me patiar: Da sinceram fidei obediētiā, ut non sim ex iis, qui recipiunt quidem verbum tuum cum gaudio, at non proprie propter verbum, sed propter honores, quæstū, voluptatē, quæ inde expectant. Totum verbum tuum sit cordi mihi, ut non tantum fidam tibi, quoad promissiones de fide & salute, sed etiā credam tibi mandanti & minitanti. Totum cor toti verbo tuo dico, ut non tantum habeam gustum boni verbi Dei, sed totus firmiter conitar, idq; altas radices in intimo meo corde agat. Ah pater sancte, Ah da

honestum & bonum cor, ut non abiiciam bonam conscientiam, ne naufragium in fide mea patiar: da deniq; mihi firmam constantiam, ne sim ex iis, qui ad tempus in Deum credunt, & postea pedem retrahunt. Scio enim animam tuam auersari eum, qui defecerit. Ne igitur desere me, ne te Deum meum deseram. Amen.



C A P. XI.

*Fides moderatur & regit
Christiani vitam ani-
malem seu tem-
poralem.*



MODERATUR fides saluifica, tanquam Magistra, cor & vitam hominis Christiani, tum ANIMALEM, tum SPIRITUALEM. Vtramq; regendo facit primo

vt Christianus sequatur Deum vo-
cantem, & se ei in omnibus manda-
tis subiiciat. Ideoque verbum Dei
reponit in corde, ad vtēdū eo, vbi op⁹
est; facitq; vt serio attendamus, id ef-
se Dei mandatū vere ad nos p̄tinens.
Deinde fidei sancta rectione in credē-
te Christiano confirmatur obedientia
& subiectio erga Deum, dum suaues
affert & offert promissiones.

P̄R PROMISSIONES Dei fi-
des illa facit, vt credens Christianus
ad verum Deum promittentem, con-
fugiat; promittit eadem illi Deum
velle & posse nos iuuare: facit vt spe-
ret Dei auxilium, ac bonum succes-
sum, iuxta datam promissionem: facit
denique vt Christianus benedictioni-
bus temporalibus destitutus, conqui-
escat in Deo, ad petendam misericor-
diam & vitam æternam:

C A N O N.

Christianus viuificam fidem omni-
um vitæ actionum moderatricem a-
gnoscat & sequitur.

SUSPIRIVM.

Vt viuam in fide filii tui Domini mei Iesu Christi, o Deus benigne, spiritum mihi largire sanctificationis, qui me totum tuo obsequio subiiciat, ut imperantem te mihi in verbo tuo audiam, imperio obsequar, verbum mandati repositum in corde fideliter conseruem, idq; in specie mihi dictum statuam. Da etiam ut suauissimis tuis promissionib. allectus ad gratiosam tuam misericordiam confidens confugiam, certo statuens te Deum & patrem meum velle & posse me iuuare: a te expectem quoq; salutem verbo tuo mihi credenti promissam, adeoque in te solo acquiescens vitæ æternæ hereditatem ad eam. Amen.

ANIMALEM & temporalem vitam viuifica fides moderatur dirigendo sancte primo hominis Christiani vocationem, deinde vocationis legitimæ labores, deniq; laborum molestias & misérias.

I. PRIMO per fidem VOCATIO LEGITIMA sancte eligitur, vt bona cum cõscientia eidem conuenienter

viua-

viuatur. Per fidem enim Christianus confirmatur, vocationem eius esse in se bonam & legitimam. Quicquid n. non ex fide proficiscitur, peccatū est.

Ea autem vocatio iudicatur **LEGITIMA** & Deo placere, quæ conducit conseruando bono statui Ecclesiæ, Reip. & familiæ. Videndum porro, vt sana confirmetur cōscientia, vt Christianus sit donatus diuinit⁹ necessariis ad vocationē donis, vt sit instructus facultate & voluntate functiones vocationis recte obeundi, vt ad eam rite sit electus & vocatus ab hominibus, quorum est vocare.

Hinc oritur **CERTITUDO**, quā certior redditur Christianus se a Deo esse vocatum, suamq; vocationē Deo placere: Et hinc Deum velle ipsi adesse & benedicere, quamdiu in sua ista vocatione pie incesserit.

CANON.

Christiani vocationem fides sancta metitur apta facultate & prona voluntate.

SUSPIRIVM.

M.
 Tibi, sancte Deus, in hac vocatione, quam mihi destinasti, & proximis meis, pro donorum meorum mensura, inservire utiliter expeto; Suspiro: Adspira suspiranti: suffice vires, & benedictionis tuæ rorem affunde. Tu me, Deus, vocasti, vocem vocantis sum secutus, tu dona mihi quædam pro tuo beneplacito es admensurus; fac sentiam presentis tui opem, neq; unquam me, in viis vocationis huius mee ambulātem, derelinque, sed adesto clemens, defende potens, instrue largus auctis donis servum tuum, ut æternum tibi serviam, in Christo Iesu Domino meo. Amen.

2. SECUNDO labores & functiones vocationis fides ita moderatur, ut ex sancta obedientia Christianus eas ad bonum finem, nimirum Dei gloriam, & hominum salutem, dirigat: Et ut in illis cohibeat, & ab illis arceat inutiles curas. Plerique enim homines duplici cura conflictantur; Una est, ut faciant labores vocationis; altera est, qua sunt solliciti de euentu & exitu

suo-

suorum laborum. Fides igitur Christiani excitat hic cor hominis secundum verbum Dei tantum ad curam primam, ut debitis laboribus, recte defungatur: alteram retundit, laborumque exitum Deo commendat, ut qui melius nouit, quibus opus habeamus, quemque nouit ea daturum, quæ pro sua sapientia nobis necessaria iudicat, nobisque profutura cognoscit.

C A N O N.

Christiani labor & functio in uocatione legitima gubernatur, fide omnia dirigente, ad Dei gloriam & salutem hominum.

S V S P I R I V M.

Doce me, æterne Deus, recte administrare uocationis meæ labores, dirige me in uis officii mihi a te elegati, ut quod ius & fas est ex officio, sedulus peragam, & benedictionem a te Deo per fidem expectem. Da ut coniciam curam meam in te, qui curam mei geris: nec sim sollicitus nimium, sed omni tempore per precationem & obsecrationem petitiones meæ coram te inno-

tescant. Tu pater meus es cœlestis, & nosti, quibus mihi ad huius vite sustentationem sit opus. Caue pater, ne euadam mancipium mundanarum curarum, sed tibi fidens plus temporis in cœlestibus curandis ponam, per Christum Iesum. Amen.

3. Tertio denique vis fidei moderatur, molestias & misérias laborum vocationis comites, efficiens, vt Christianus eas æquo ferat animo. PATIENTIAM autem in animo nostro gignit, dum efficaciter nobis persuadet, Deum nobis pacatū, & nos ei in Christo reconciliatos esse; ac ita tandem misérias, quas in vocatione sustinenda deuoramus, ad bonum & salutem nostram dirigit.

CANON.

Christiani molestiæ & miseriæ in laboribus tolerantur pia patientia per virtutem fidei.

SUSPIRIVM.

Laborem, Pater sancte, mihi filio tuo iniunxisti, cum labore molestias coniunxi-

sti, a-

sti, adeoq; laborem cum dolore copulasti; In sudore vultus mei vesci pane meo debeo. Vi- res & labores sufferendi, & dolores patien- ter absorbendi concede propitius, ut certo persuasus te Deum meum mihi reconcilia- tum per Christum filium, affuturū & be- nedicturum meis laboribus, omnemq; la- borum & dolorum meorum acerbicatem in suavissimum salutis & gloriae immor- talis dulcorem conuersurum, te laudem & glorificem. Amen.



C A P. XII.

*Fides moderatur & regit
Christiani vitam spiri-
tualem.*

CH R I S T I A N I Vita spiritua-
lis est initium æternæ in cœ-
lesti gaudio & gloria de gēdæ:
cōsistitq; in his quatuor: *In reconcilia-*

*Christia-
ni vita
spiritua-
lis in qui-
bus consi-
stat.*

tione cum Deo; in pace conscientiae; in gaudio spiritus sancti; & in nouitate vitae.

I. RECONCILIATIO cum Deo in Christo, promissionibus Euangelicis patefacta & oblata, Sacramentis Euangelicis obsignata, accipitur & retinetur per fidem Christiani; Ideoque *fides viuifica*, istam primo recipit, deinde de ea certiolem reddit credentem Christianum.

I. FIDES CHRISTIANÆ vitæ moderatrix amplectitur & recipit reconciliationem; quando spiritus seruitutis cōsideratione peccati in Christiano operatur metum iræ, & timorem commertæ condemnationis, ac desperationem de seipso: quando deinde spiritus libertatis & gratiæ, per compunctionē & viuum sensum miserix, in mente eiusdem, seriam & attentam considerationem promissionum gratiæ & beneficiorum, in iis oblatorum, excitat; quando insuper inflammatur spiritus voluntatem, conatū, & studium credendi Deo mandanti

& pro-

& promittenti, excitata simul in corde seria inuocatione confugientis Christiani ad thronum gratiæ; quando denique certitudinem quandam de Christo, eiusq; beneficiis, spiritus s. virtute sua animo Christiani imprimat, eique tranquillitatem quandam affert.

2. Certiorem reddit fides credentem de reconciliatione sui cum Deo, quando eum in conscientia de ea confirmat & obsignat, hoc Syllogismo practico: *Credens Euangelio habebit omnia beneficia & benedictiones a Deo in eo promissas. Atqui Ego Euangelio & in Iesum Christum credo. Ergo beneficia & benedictiones in eo promissas habebō.*

Propositio, est vox Euangelii. Assumptio, est vox cordis credentis. Conclusio, est basis omnis gaudii & spiritualis consolationis.

C A N O N.

Fides est moderatrix Christianæ spiritualis vitæ, reconciliationem no-

stri cum Deo in Christo accipiendo,
retinendo & nobis persuadendo.

SUSPIRIVM.

Vti spero vitam aeternam, eterne Pater Domini mei Iesu Christi; ita nihil aliud opto, quam ut spirem in hac carne vitam spiritualem. Da igitur mihi primum spiritum seruitutis ad salutarem metum, & deinde spiritum libertatis ad letitiam cordi afferendam. Perfora mihi aures, accende studiū tuis mandatis obtemperandi, tuasque promissiones fide amplectendi, & ad thronū gratiae tuae cū confidentia accedendi. Da cogitationē suffultam, ut ad Christum & ad perfectam meam tecum reconciliationem amplectendam conscendam. Firma deniq; certitudine vivifica fidei cor meū, ut certo sciam, experiar, & persentiam me esse filium tuum, & heredem vitae caelestis per Christum Iesum. Amen.

II. VBI CHRISTIANVS certo credit sui cum Deo reconciliationē, ex fide ista protinus oritur PAX CONSCIENTIÆ, sc. animi firma & constans tranquillitas, in qua conscientia

non

non accusat, sed excusat, & infernum, mortē, maledictionē, & alia pericula, non nimiū metuit. Hinc David Ps. 3. *Decumbo & dormio & resurgo denuo, etiā in summis variisq; periculis.* Rom. 5. *Iustificati pacem habemus cū Deo per Dominum nostrū Iesum.* 1. Chrō. 20. *Confidite Domino, & tuti eritis.* Hic igitur, quo maior fides, eo maior pax cōscientiæ: Vbi nulla fides, ibi nulla pax: vbi viuifica fides, ibi viuifica pax: vbi fides constans, ibi & pax constans: vbi fides in morte, ibi pax in morte.

C A N O N.

Fides spirituales vitā etiā animat, pacem cōscientiæ afferendo.

S V S P I R I V M.

Pax tua, O Deus pacis, pars regni celorum est, pax tua superat omnem intellectū: ipsa custodiat instar presidii animam, cor & sensus meos omnes in Christo Iesu ad vitam aternā. Pace interna cordis nihil suauius, nihil preciosius, nihil optabilius: tolle Deus peccatum, propitiam pacatū, ostende mihi faciem tuam, iustifica me, & imputa Christi Iesu iustitiam; & pacem illam

dedisti, qua securus & letus in Christo vivere possum. Amen.

III. P A C E M conscientia sequitur
G A U D I V M S P I R I T V S sancti in
vita spirituali hominis Christiani. Fi-
des viuifica gaudium illud, vt mater,
gignit ex salutari, & benedicta hac ar-
gumentatione: *Conscius sentio me cre-
dere in filium Dei Redemptorem meum. Er-
go mea sunt promissa, Dei in Euāgelio be-
nedictiones.* Genitum item gaudium
capit augmentum ex fidei incremen-
to; perseverat ex perdurante fide.

C A N O N.

Fides viuifica spiritualis vitæ rectrix,
Christiano gignit Spiritus sancti in-
ternum gaudium.

S V S P I R I V M.

*Regnum tuum, Rex regum gloriose
Deus, est etiam gaudium in spiritu sancto.
Illud, te dante, ad me veniat, & hoc in te
exsultabo. Fac Deus, vt assiduo gaudere
possim in te ideo, quod meus sis Deus & pa-
ter, fac item vt gaudeam in Christo, quod
meus sit Christus, meusq; Iesus, fac deniq;*

illud

illud gaudium cor meum exhilaret in mediis etiam afflictionibus, ut cum Paulo dicere possim: Gloriamur in afflictionibus, idq; per Christum Iesum, qui est pax mea & gaudium meum. Amen.

IV. NOVITATEM denique vitæ Christianæ in bonis operibus fides moderatur, ut opus faciendum in suo genere Deo placeat. *Quicquid enim non est ex fide, peccatum est. Rom. 14. Deinde purgat cor, & sic perficit bonum, quod fieri oportet. Psal. 116. Credidi, ideo locutus sum. Opere denique peracto Christum amplectitur, qui suo merito defectum nostri operis tegit.*

C A N O N.

Fides Christianam vitam facit fructuosam, opera & fructus sanctimonix, apprehenso Christo, & purgato corde, producendo.

S V S P I R I V M.

Regenera me per spiritum tuum, Creator & Recreator optime maxime, ex immortali semine verbi; ut purificato corde

meo per fidem & obedientiam veritatis, bona cogitem, bona agam, bona dicam. Fide mihi opus est, qua mihi det vitā & sensum ad nouam hanc vitam. Da fidem, & oculum das menti, quo Christum intueri possim in verbo & sacramentis; da fidem, & manū das animæ, qua fas mihi est Christum cum omnib. beneficiis recipere: da fidem, & cordi das os, quo alar edens Christi carnem & bibens eius sanguinem. Da fidem, & das pedē animæ ambulaturæ tecum: Da fidem, & das aurem, qua te audiā loquentem, & das linguam, qua te Deum meum alloquar inuocando nomen tuum sanctum, cui sit gloria & honor in omne seculum. Amen.



C A P. XIII.

C A N O N vitæ Christianæ
Moderator.

H A C T E N V S Fides vitæ Christianæ Magistra & directrix fuit: Iam C A N O N E M &

R E -

REGVLAM, ad quam ex præscripto Christi Magistri quiuis eius discipulus vitam suam exigere debet, considera-
bimus.

REGVLA autem hæc vitæ Chri-
stianæ moderatrix a filio Dei Domi-
no & Magistro nostro Iesu Christo in
Euangelio secundum Lucam capite
nono his verbis proponitur:

*Siquis vult me sequi, abne-
get semetipsum, & tollat
crucem suam quotidie, &
sequatur me.*

Canonis huius primo adiuncta V-
niuersalitas & necessaria obseruatio:
Deinde *Partes* dispiciendæ sunt.

VNIVERSALIS est hæc regula,
pertinens ad omnes, qui Christo no-
men suum dederunt. Lucas enim
*hanc Christum in genere pronuntiasse, &
omnib. qui tunc presentes aderant dixisse*
scribit. Marc. autem cap. 8. apertius:
*Cum aduocasset, inquit, turbam cum di-
scipulis suis, dixit eis: Quicumque vult me*

sequi, &c. Unde apparet Christum vniuersalem regulam & formam præscribere voluisse, quæ ad omnes homines ex æquo pertineat, talisque sit, ut eam illi omnes curriculum vitæ suæ dirigere & cōficere debeant, qui eum sequi, id est, discipuli eius esse, & per ipsum conseruari, æternæque beatitudinis consortes fieri cupiunt.

CANON.

Nullus Christianus ab obseruatione regulæ generalis, vitam Christianam informantis, immunis est. Ergo, *ut externa personarum atque ordinum discrimina nequeunt nos a Christo separare, quoad debito in illis officio fungi non cessamus: Sic nulla illarum conditionum & ordinum nobis immunitatem hanc dabit, ut soluti ab hac Christi regula & disciplina vitam degamus.*

SUSPIRIUM.

Christianus, & esse, & dici ex animo opto, O Christe Præceptor, ut salutis in & per te particeps reddar. Accipio itaque ex ore tuo discipulus regulam præceptoris,

sub-

Secunda

subiicio me, meamq; vitam isti tuo canoni,
 ut sub te vno capite, sum reliquis discipulis
 tuis Christianis, ad vnā formam modūq;
 te digne viuendi constringar. Suscipe me
 sectatorem & discipulum, & per spiritum
 tuum sanctū mētem & omnes vires meas
 reforma, & in iis excita nouos motus tibi
 placentes, ut non tantum sim canonis tui
 auditor & professor, sed etiam obsequiosus
 obseruator, tuisq; præceptis & legibus pa-
 ream, & sancte hic viuam, ut æternum
 beate viuere queam. Amen.

Necessaria porro est regulæ huius
 OBSERVATIO. Siquidem non di-
 cit simpliciter: Abnegate vos ipsos, tol-
 lite crucem vestram, & sequimini me; Sed
 si quis vult me sequi, inquit, abneget se-
 metipsum. Ergo eo ipso declarat, qui
 non seipsum abnegat, &c. eum nequaquam
 posse esse discipulum Christi, & salutem in
 ipso adipisci. Ecquid enim hæc exige-
 ret a nobis, si absq; iis & discipuli ipsius
 esse, & summo bono potiri possemus?

C A N O N.

Non sufficit Christianum nomi-

nari, in Christi nomine baptizatum esse, ceremonias externas Christianæ genti vsitatas obseruare: sed multo magis, omnis cogitatio, cura, opera, tēpus, labor ponenda & consumenda sunt in tenenda & fideliter obseruanda vitæ Christianæ regula, vt re ipsa veri & Deo grati Christiani existamus. Nam *Non omnis, qui dicit, Domine Domine, introibit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem patris mei, qui est in cælis.*

SUSPIRIVM.

Tunc non confundar, sanctissime Deus, cum perspexero omnia mandata tua, cum curro viam mandatorum tuorum, cū non tantum sum auditor verbi tui, sed etiam factor & exsecutor fidelis. Scio quæ sit sancta tua voluntas, fac fiat voluntas illa tua a me in terra, sicut fit in cælis. Angeli faciunt voluntatem tuam, Christus fecit eam; Miser ego homo eam non facio: fac faciã, vt intrare possim regnum tuum: fac non tantum nominer, sed sim opere ipso obsequens filii tui discipulus; Dicit Christianũ

nib

nil prodest, esse iuuat. O Deus subiice voluntatem meam sanctæ tuæ voluntati, & in æternum nomen tuum concelebrabo. Amen.



CAP. XIV.

Christianus sui ipsius abnegationi indefessam dat operam.

Partes Canonis vitam Christianam moderantis sunt tres; Prima præcipit Abnegationem sui ipsius; Secunda quotidiana crucis sublationem; Tertia sequelam & imitationem virtutum Christi præceptoris.

ABNEGARE aliquid quis dicitur, cum alicui rei ex animo renuntiat, eam prorsus aspernatur, usque adeo, vt licet in potestate sua sit, tamen illam neque nosse,

Abnegatio quid

neq; illa vti, neque vllam consuetudinem cum ea habere velit. Sic dicimus patrem abnegasse suum filium, si certum ipsi est, Eum non amplius filium suum agnoscere, ac beneficiis afficere, & penitus nulla beneuolentia paterna prosequi. Sic honestus maritus vxorem adulteram abnegat, ob perfidiam & libidinem, eam coniugem suam non agnoscens.

Abnegare
semetipsum
quid.

Semetipsum abnegare est suo arbitrio, sibi toti, & omnib. propriis animi sui motibus placitisque renuntiare, & semet alterius voluntati & potestati resignare, & quasi deditione facta addicere. Vel Seipsum abnegare est, proprios affectus negligere, cōprimere ac repellere, suggestiones ac suasiones illorum non admittere, & posthac non sibi ipsi, sed illi deditum esse, qui in Dominum aut magistrum delectus est aut receptus.

CANON.

CHRISTIANVS itaq; seipsum abnegat, cum diffusus humanæ suæ sapientiæ, rationem suam cōtemnens,

con-

consilia sua abiiciens, arbitrium suum nihili aestimans, & affectibus cupiditatibusque suis prorsus non indulgens, contra, rationem, intelligentiam, voluntatem, consilia, affectus, appetitiones omnes, seque totum per fidei obedientiam, Deo & verbo eius subiicit, regendumque exhibet, quo soli illius sanctę maiestati probetur, qualescunque in hac vita euentus alias sortiantur.

S V S P I R I V M.

O quam durum est homini, seipsum abnegare, sibiipso, quem amat, renuntiare. Mi Deus, Mi Deus, per me abnegare, me ipse non possum, nisi tu spiritu tuo totum me renoues. Opus hoc arduum o quoties sum molitus, etiamnum molior, sed deficio; Tu nisi adiuueris manum tuam huic operi, omnes mei conatus fient irriti. Regenerator potentissime, tolle e carne mea cor durum, cor saxeam, & da cor molle & nouum, quod tui reuerens te amet, & in viis tuis incedat. Cor mundum crea in me, & spiritum rectum innoua in visceribus

meis, ut possim veterem hominem crucifigere, veteriq; Adamo mori; ut possim carnem cum desideriis concupiscentiisque suis fortiter compescere, & me totum tibi Deo meo, hostiam offerre viuam. Vota mea hæc, & suspiria quotidiana sunt: O utinam possem me ipsum abnegare, propria carni mori, terrena mea membra occidere, cupiditates & affectus meos crucifigere, nouq; donatus spiritu Christo viuere: Suspiranti Deus adspira, & fac me nouam creaturam. Amen.

C A N O N. I.

Tota hominis animalis natura, omnes eius vires, omnes proprietates, & quicquid in se habet, vitiosum est, & diuinæ voluntati contrarium, impedimentum merum in salutis via.

Id enim solum est abnegandum, quod a Dei voluntate alienum, & nostræ salutis perniciosum est. Ergo

Christianus nihil suo arbitrio, nihil ingenitis suis viribus in salutis suæ negotio, tribuit; Sed sola Dei gratia, qua per Christum redemptus est, innititur.

SUSPIRIUM.

Miser ego homo; quis me eripiet ex corpore mortis huius? Non enim non habitare in me, hoc est in carne mea, bonū: velle adest mihi, sed ut quod bonum est, perficiam, non assequor. Non enim facio bonum, quod volo; sed malum, quod nolo, hoc ago. Tolle Deus malum a me, ne impediatur bonum, quod iudicio nouo approbatū vult regenerata voluntas. Tolle peccatum, quod in corpore meo habitat, & da virtutem Christi, ut sim viuum in corpore eius membrum. Tolle, pater, legem membrorum meorum, legi mentis meae, rebellantē, ne captiuum me reddat legi peccati. Tolle deniq; ex me, quod non est tuum, & da mihi, quo tuus sim, & tua agam, & tuam gloriam videam in secula. Amen.

CANON. 2.

Cū homo peccati culpa, a primæ-
ua p̄fectione & excellentia defecerit,
integrum & permissum ei amplius nō
est, ex sua sententia & arbitrio agere,
sed tota eius ratio & sapientia per ver-
bum Dei, ad obedientiam fidei p̄duci

debet. Oportet enim Christianum esse Christo dedicatum, Deo viuam hostiam sisti, & passibus voluntatis illius ingredi.

CANON. 3.

Cum sine fide in Deum per Christum nemo possit pie viuere, neq; saluari. Et vnica fidei regula ac norma sit Verbum Dei, quod corruptæ naturæ & rationi repugnat, necesse est homo huic renuntiet, si modo vult fide in Christum seruari.

CANON. 4.

U Cum Christianus Deum supra omnia ex toto corde diligere, & proximum sicut seipsum amplexari debeat; necesse est etiam, vt prius seipsum abneget. Natura enim omnes ita affecti sumus, vt nos ipsos amemus, commodum gloriamque nostram in primis procuremus. Necesse igitur est, vt huic nostræ propensione renuntiemus.

SUSPIRIUM.

Tuum, O pater cælestis, regnum adueniat, non peruersa meæ naturæ; Prohibe ne

pecca-

peccatum regnet in mortali corpore meo.
 Voluntas tua fiat, non carnis meae, ut per
 me & in me nomen tuum sanctificetur. Con-
 cede in corde meo locum semini sancti tui
 verbi, & saluifica fidei, expulsa omni pra-
 uitate & peruersitate carnis meae. O cari-
 tas, adspira suspiranti caritatem veram, a
 salutifera fide nunquam separabilem, ut
 totus tibi deuotus in te maneam, & tu in
 me, meque totum viuifices & saluifices.
 Amen.



C A P. XV.

Christianus abnegare seipsum
 studet precibus, officii sui pia
 meditatione, mundi contem-
 tu, & assidua disciplina
 consuetudine.

ABNEGATIONIS huius iam execu-
 tiam causas, & subiectas partes

G 5

abnega
 ones
 esse.

Abnega-
tionis
caussa.

Causæ hoc loco sunt nobis Media, quibus homo Christianus ad sui ipsius abnegationem proficere potest.

I. PRIMO autem Christianus scit & fatetur in se nihil virium naturalium, nihil adiminiculi, ad hanc sui ipsius abnegationem inesse. Vnde fit ut extra se auxilium quærat, & diuinæ opis petendæ studio incendatur. Ergo

CANON.

Ad abnegationem sui ipsius Christianus omnino opus habet spirituali regeneratione, quæ superne spiritus sancti virtute in ipso perficitur.

SUSPIRIUM.

Auxiliator ab utero meo Deus, effunde spiritum & benedictionem tuam super me, & regenera me, ut in Christo Iesu sim tibi creatura noua, & me ipse possim abnegare, meque plane tibi litare totum. Gigne & resinge me verbo & spiritu veritatis, ut peccatis mortuus viuam iustitie,

& in.

*& indutus nouum hominem, ad imagi-
nem tuam quotidie renouer, & crescarn in
Christo capite meo. Amen.*

II. Deinde etsi vnicus noster adiutor
sit Deus, non vult tamen nos esse o-
tiosos, sed demandauit nobis quæ-
dam exercitia, quibus occupari de-
bemus: Inter quæ primum est.

PRECANDI ASSIDVITAS,
qua Christianus a Deo gratiam & spi-
ritum sanctum petat, qui se trahat,
vt alacriter luctam cum carne susci-
piat, & hanc frenare ac deuincere
queat. Qua de caussa Christus disci-
pulos hortatur, vt vigilent & orent,
quia caro infirma & tarda, spiritus na-
uus & expeditus sit.

CANON.

Sine assiduis precibus, nemo vn-
quam ad sui ipsius abnegationem ad-
spirare potest.

SUSPIRIVM.

*Cor mundum crea in me, o Deus, & spi-
ritum firmum intra me innoua. Ne abii-*

cias me de facie tua, & spiritum tuum sanctum ne auferas a me. Restitue mihi letitiam salutaris tui, & spiritu principali fulci me. O Deus saluator, vias tuas ipse demonstra mihi, & assuefacito me semitis tuis. Duc me in veritate tua, & assuefac me. Tu enim es Deus salutis mee. Amen.

Secundum est, *Assidua nostra vocationis, ordinis & officii* MEDITATIO, quæ precibus est adiungenda. Affectus enim nostros vitiosos non exuimus, neq; nos diuinæ voluntati dabitur, nisi assidue vocationem & functionem nostram ob oculos habeamus.

CANON. I.

Cum duplex sit cuiusque hominis vocatio, communis & priuata, seu propria. Primo memor communis suæ vocationis Christianus cogitet, se Christianum esse, & a Christo inaugurationem Prophetæ regis & sacerdotis Dei accepisse, ideoque Christo digne viuendum esse.

2.

Dein-

Deinde Christianus memor propriæ vocationis, perpendit accurate proprii officii munia, quid nomine Dei illa a se requirant. Siquidem olim Deo officii præstiti, aut neglecti rationem reddendam esse, nouerit.

S V S P I R I V M.

Seruus ego tuus sum, Deus, tu Dominus meus es; Studiosus voluntatis tuæ ut sim, me & seruum esse, & tibi Domino obsequium debere, assidue mihi cogitandum. Rege igitur me spiritu tuo, ut si caro me ad iram concitat, odio atq; inuidia accendit, arrogantia inflat, auaritia prouocat, libidine pellicit, & aliis affectibus sollicitat; in mentem mihi nomen Christianum ueniat, quo unctus Dei vocor, & ideo rex & sacerdas Dei sum, ne impuritatem vitii mihi patiar imperitare, ne libertate, in quam me Christus vindicauit, excidam, ne sanguinem Iesu, quo a peccatis sum lotus, dehonestem. Da etiam, da Deus ut meæ conditionis & vocationis non raro nec oscitanter recorder, cogitem vero assidue, mihi esse rationem reddendam tibi Deo

de omnibus officii mei partibus, ut sic carne dormita, totum me tuo obsequio mancipem. Amen.

3. Meditationi vocationis nostræ accedat attenta rerum huius Mundi
C O N S I D E R A T I O, ut Mundum discamus contemnere.

Stultitia enim ingens est reb. Mundi caducis, incertis & temporariis ita inhiare, & intentum esse, ut propterea effrenem carni libidinem permittamus, & non potius affectus eius abnegemus, ut nobis cœlestes comparemus thesauros.

C A N O N.

Nemo Mundum amans seipsum & carnem suam abnegare potest; sed omnis Christianus mortalia & fluxa negligenda esse iudicans, ut cœlestia & æterna consequatur, a mundo se segregat, ut carnem suam abnegare queat.

S V S P I R I V M.

Sanctifica me, o Deus sanctificator, & a mundo me subtrahere, ut spernere & odif-

se,

se, quicquid immundi mundi est, discam. Amator mundi, Christi sectator esse non potest. Fac itaq; ut cogitem mihi hic nullum stabilem locum datum esse, sed municipium & sedem meam in caelo haberi, ubi aeterni mihi thesauri in Christo Iesu asseruati sint, quos nihil corrumpere, nemo eripere mihi possit. A Mundo igitur tollo animam meam, & eam ad te Deus leuo; quero caelestia, da quae quero, & caelesti gaudio exsultabo, & caelestibus opibus ditescam, & aeterna gloria perfruar. Amen.

4. Deniq; a pueris seipsum abnegare, & carnis impetus coercere adsuescere multum est. Consuetudinis n. magna vis est, ita ut nimia consuetudo vitiorum asperam nobis & insuauem virtutum viam faciat, & continua seipsum comprimendi, suamq; carnem subiugandi consuetudo semitam iustitiae reddat leuem. Difficile est peccati consuetudinem vincere, prauus usus vix abolet. Difficile quoq; est consuetudinem seipsu recte moderandi, & carni resistendi, deponere: tan-

dem enim assidua consuetudo virtutem confirmatam conuertit in naturam. Consuetudo enim quasi secunda, & quasi affabricata natura dicitur.

C A N O N.

Qui non adsuescit sui abnegationi & virtuti, dum iuuenescit, a seiplo & vitiis nescit discedere, quando senescit.

S V S P I R I V M.

Sape sepius exire e prauis affectibus & actibus desidero & contendo, mi Deus sed quia eorundem affectuum & actuum pondere premor, in mala consuetudinis carcere inclusus, a me ipso exire non possum. Imploro itaque omnipotentem virtutem tuam, Deus fortis, per misericordiam & Christum filium tuum, vt me a priori nō bona consuetudine reflectas ac reuoces, ne mos longo tempore in me co. firmatus vim obtineat natura, quae mutari nesciat. Accerrimum sentio carnis & spiritus certamen; iuua me, adiutor Deus, vt, carne domita, triumphet spiritus, egoq; noxias carnis appetitiones contrahere & frangere possim.

possim.

possim. Flecte quod est rigidum: riga, quod
est aridum; firma quod est languidū: tolle q̄
est noxium; vinci quod vincire: vince in
me, quod vincere: muta quod mutare non
possim. Amen.



CAP. XVI.

Christianus intelligentiam &
voluntatem carnis sa-
tagit abnegare.

PARTES subiectas dico,
quæ recipiunt abnega-
tionem, vel in quib. ipsa
abnegatio exercetur, &
occupatur. Abnegat enim homo
Christianus, aut Superiores, aut Infe-
riores animæ suę vires, vt se totum trā-
dat hostiam Deo.

Abnegatio virium superiorum, est
carnalis intelligentiæ & voluntatis.
Harum abnegatio fundamentum &

Abnega-
tionis par-
tes.

robur est aliarum abnegationum omnium.

Ad PRIMVM itaq; Christiano abneganda est ratio, intelligentia & sapiētia carnis, quæ est mors, & inimicitia aduersus Deum, vt tota illa fidei obedientiæ subiiciatur.

Intellectus autem perpetuus infinitarum cogitationum fons est, quas memoria apud se depositas suscipit & conseruat.

Carnis inde cogitationes, teste *Bernhardo*, nonnullæ sunt penitus otiosæ; quædam violentæ & fortius adherentes; quædam ab immundo spiritu suggestæ, immundæ & foetidæ; aliæ sunt curiosæ.

CANON. I.

Christianus renuntiat carnis suæ rationi, intelligentiæ, prudentiæ, consilio, iudicio, & omnem suam rationem, intelligentiam, prudentiam, iudicium & consilium submittit obedientiæ fidei & verbo Dei, eiusq; spiritui.

2.

Christianus expulsurus cogitationes otiosas in mētem reducit, se semper adfistere Deo Dominatori rerum omnium, sua omnia oculis eius patere, qui cor intuens reprehendit tacitus eius otium & inertiam.

3.

Christianus prauas & violentas refracturus cogitationes admouet securim ad radicem delectationis, quæ ex huiusmodi cogitationibus voluntatem incipit afficere.

4.

Idem eliminaturus cogitationes imundas, iis adhuc longe agentibus, multa cum indignatione occurrit, & a se difflat, ne vllus eis detur accessus, neue nidificent.

5.

Christianus curiosis tentatus cogitationibus, curiositatem omnem statim in se descendens, ad suaque conuersus coercet & refecat.

Huc pertinet *abnegatio satellitum*

& ministrorum rationis nostræ, scilicet, non solum sensuum externorum, sed etiam internorum, Phantasiæ præsertim, quæ tantam imaginum turbam menti offert, atque adeo tam multa monstra, ut si non compescatur, & purgetur forti abnegatione, animum uniuersum sola per se obrutura videatur.

SUSPIRIUM.

Deplorans depravatam rationis & intellectus mei vim, malarumque cogitationum subinde euolantium agmen, imploro opem misericordie tuæ, misericors Deus, ut tu ipse rationem meam tua luce collustres, repurges, reformes, ut sancte se tibi & fidei submittat, eaq; intelligat, sapiat, iudicet, quæ sunt bona, vera & utilia. Repelle Deus irruentem turbam otiosarum, carnalium, foetidarum & curiosarum cogitationum, conuertere cogitationes meas ad gloriam tuam, ad salutem meam, ad proximi mei ædificationem. Sensus meos sanctifica, ut bene custoditos tibi eos reseruem, & tuo obsequio dedam. Arce procul a ratione &

indi-

judicio, a cogitatione, & sensu meo omnem malitiam, eaq; omnia in me sanctimonie tue virtute imbue, vt quicquid in illis est, id totum tibi tueq; gloriae inseruiat. Amen.

Deinde VOLUNTAS abneganda est Christiano, ne sese illa suo nutu & consilio dirigat, sed totam se Deo subiiciat ac committat regendam.

Voluntas *inquam*, PROPRIA est abneganda, quæ seipsam querit, seipsa delectatur, & neglectis aliis omnibus amore sui quasi capta, tota est intenta in proprium commodum. Hæc Deo contraria est, hominem reducit in seruitutem Diaboli, non se subiicit diuinæ, sed voluntatem diuinam flectit potius, & suæ coniungere conatur, peruicaciam & contumaciam gignit, mater & sentina aliorum omnium peccatorum.

CANON. I.

Voluntas contra seipsam conuertitur, cum seipsum abnegat; proponit autem, allecta & flexa per Dei gratiã,

intellectui pessimum suum statum, ut hac cognitione instructa mens, voluntatem erigat atque confirmet ad seipsam abnegandam. Ergo

CANON. 2.

Abnegatio intellectus viam sternit abnegationi voluntatis, quandoquidem nihil voluntas appetit, nisi quod ei ab intellectu ante propositum. Ergo ut se voluntas abneget, intellectum impellat ipsa ad seipsum abnegandum. Intellectus abnegatus vicissim voluntatis abnegationi fert subsidium.

SUSPIRIUM.

Non mea, pater sancte, sed tua fiat voluntas. Mea aberrat, tua semper iusta, recta, & sancta est. Mea itaque ut tua subsit, conuerte cor meum a voluptatibus propriis ad virtutis seueram soliditatem, allice voluntatem, omniaque in corde meo suaviter dispone, intellectum illustra, ut factus certior de pernicie propriae meae voluntatis, excitet eam, efficiatq; ut protinus pestem illam a se radicitus excutiat, viriliterq; sese abneget. Ergo, ut mea a tua

pendeat

pendeat voluntate: tua mee sit magistra;
consilium meum sint iustificationes tuæ in
omnibus viis meis. Amen.



C A P. XVII.

*Christianus incumbit abne-
gationi malarum cupidita-
tum & affectionũ animi,
& inprimis proprii
vitiosi amo-
ris.*



ABNEGATIO inferiorum virium animæ est cupiditatum & affectuũ, & inde natorum malorum habituum.

Primum Christianus, quantum potest, abnegare studet fomitem malæ concupiscentiæ, quo homo ad peccatum inclinatur, in quod etiã nullo

negotio deuoluitur, si Dei gratia, & hominis industria, Dei item gratia adiuta, non impeditur. Vnusquisque tentatur a propria concupiscentia. Huc pertinent variæ inclinationes hominis ad malum, siue sint generales, siue propriæ homini huic aut illi.

C A N O N. I.

Homo Christianus persentiscens vim & fomitem concupiscentiæ, vt eam, qua hic fieri potest, expugnet, studet in cœpto vitæ curriculo progredi, vt profectu in virtutibus continuo, concupiscentiæ vis continue minuatur. *Ergo*

Vt cohibeat inclinationes prauas, illis se virtutibus exercet, quæ illis maxime contrariæ sunt. Concupiscentia continentia compescenda est.

2.

Christianus contendit resistere concupiscentiæ & motionibus eius. Pugna, inquit Augustinus, resiste, noli consentire. Et quando insurgunt motus eius, nihil animo mouetur, sed

ita

ita immobilis perseuerat, in proposito placēdi Deo, ac si extra ipsum perturbationes exsisterent, nec ipse ageret in ea re quicquam, sed pateretur potius.

3.

Prudentia Christiana inuestigat & explorat prauas suas inclinationes, tanquam hostes suos, vt quales & vnde sint cognoscat, vt deprehensas studio abnegationis tandem eas iugulet, ne iis, vt administris vtatur Diabolus, ad hominem perdendum.

S V S P I R I V M.

Cogitatio cordis humani ab adolescentia prona est ad malum; Ab deprehendo multam esse hominis malitiam, & cunctā cogitationem cordis intentam esse ad malum; Vere, vere cor hominis prauum est. Captiuat etiam me lex membrorum, suoq; pondere deprimit ad legē peccati: O quantam, infelix ego homo, carnis, & sensus mei corruptelam sentio. Miserere mei Deus, qui solus me a cupiditatum fomite liberare potes: De necessitatibus meis eripe

me, permaneat in me concupiscentiis iactata bene viuendi voluntas, ita ut sit etiam bene viuendi & nunquam peccandi voluntaria felixq; necessitas, per Christum Iesum. Amen.

II. Deinde cum concupiscentiæ fomes generet vitiosas animi passiones & affectiones: Ad has etiam, ne excrescât, securim abnegationis admo- uere laborat Christianus, idque Dei gratia misericorditer adiuuante, lōgi temporis labore. Nouit autē magnas vires habere ad præpediēda vitia efficacem abnegationem affectus, & commotionis cuiuscunq; in ipso primo eius exortu.

C A N O N. I.

Christiani est coercere prauas animi commotiones primo statim initio antequam ad habitus firmitatem, perueniant.

2.

Christiani est non otio torpere, sed assidue amputare ramos malarum

cupi-

cupiditatum in animo, vitio hereditario, succrescentes.

3.

Amputatis malarum affectionum ramulis, eiusdem est, contra inferere bonarum affectionum surculos. Vacat enim nunquam animus motibus, aut turbidis & malis, aut serenis & bonis. Occupetur igitur bonis, ne malis obruatur.

4.

Occupetur mens Christiani in rebus spiritualibus & diuinis. Labor enim hominis interioris, est otium hominis exterioris. Et: feruor spiritus, est carnis algor.

S V S P I R I V M.

Conturbant me, o quoties indomita animi mei (ab quam impatiētis ac impuri) perturbationes! Tuum est, o Deus, maris huius tempestates sedare. Doce mi pater, & iuuua allidere paruulos ad Petram, ut succrescere volentes exstirpem, priusquam me exscindant. Tolle ex me superflua, ut salubria exsurgant, accedat utilitati mee,

quicquid tu demis mee cupiditati. Pute-
tur cupiditas, ut virtus roboretur. Pur-
ga me malis, ut complear bonis desideriis:
Exerce me diuinis, ut non vacem munda-
nis: Exerce hominem interiorem, ut ex-
terior otietur: ferueat spiritus, ut caro al-
geat. Et tandem auerte animum & vo-
luntatem meam ab amore illicito rerum o-
mnium creatarum, ut tota tibi Deo appli-
cata, coniungatur & quasi conglutinetur.
Amen.

Amor
proprius.

III. Inter animi autem affectus pri-
marius est Amor proprius & carnalis
sui ipsius, qui omnem intentionem
Christiani inquinat, peruertit, & de-
flectit ad seipsum, facitq; ut nō Deum,
sed nos ipsos intueatur, nihil aliud in
suo proposito & actione querens, quā
seipsum solum. Et hunc etiam arden-
ti studio abnegare annititur Christia-
nus. Perit homo amando se, reuiu-
scent abnegando se.

Ad suffringendos autem amoris
proprii neruos, eundemq; ex animo
conuellendum, contēplatur seipsum

Chri-

Christianus, & deprehendit, ex seipso existere prauas propensiones & corruptelas; hinc concitatur in suimetipsum odium, contemptum, nauseam, indignationem, ut etiam sibi exprobrat sua dedecora.

Deus etiam in cor hominis, amarissima quæq; congerit, ut ita hominem probet, assuefaciatque diligere Deum propter Deum, non semetipsum propter seipsum. Id enim adeo displicet Deo, ut interdum permittat nos incidere in graues tentationes ac turpiter labi; tum ut ex illa manifesta turpitudine cognoscamus occultam offensam, tum ut vel sic ab lacte nostræ cupiditatis & amoris.

S U S P I R I V M.

Multoties me amor mei seducit, nimiumq; me amando me perdo, non te Deum meum in omnibus viis meis quero, nec intueor, sed me neaq; præsertim vero gloriam & commodum meum aucupor. Huius cupiditati inexplebili nihil sufficit. Expurga, queso te Domine, fece amoris proprii

animum meum, succendeq; in eo amorem
 tui ardentem vsq; ad contemptum mei, ne
 peream amando me, sed me inueniã aman-
 do te & negando me. Da Deus vt tandem
 possim nuntiu mittere omnib. bonis exter-
 nis, omnib. parentib. cõsanguineis & ami-
 cis secularibus, omnib. mundanis & terre-
 nis cupiditatibus, & carnalib. affectioni-
 bus, omnibus prauis habitibus, omni
 gloria mundana, & denique amori huius
 vite, vt vitam eternam in Christo Do-
 mino meo inueniam. Amen.



C A P. XVIII.

Christianus abnegat se renun-
 tiando omnib. suis prauis
 habitibus & vitiis.

Ciram Christianus ponit ma-
 ximam & in profligãdis pec-
 catis, & reuellendis abiicien-
 disq; illis prauis habitibus, quib. homo

dum

faillid sup:
 Deus
 uenim me
 uenim te.

dum peccat imbuitur. Manent n. prau-
ui consuetudinis malæ habitus, tan-
quam hominis hostes, contra quos
continenter pugnandum est, donec
eorum vis vniuersa peruertatur.

I. In it itaq; primum certamen contra
GVLÆ vitium per temperantiam &
abstinentiam, qua frangitur; Siquidē
contraria contrariis curari solent. Ab-
stinet non minus aliis vitiis omnibus,
quam nocentibus cibis. Eludit carnis
illecebras & Diaboli insidias. Dat se
cogitationib. & studiis spiritualibus,
quibus maxime animus abstrahitur a
cura corporis. Respicit deniq; ad ex-
emplar Christi Magistri sui, qui miri-
fice temperantiam amplexus est.

CANON. I.

Christiani est timere, ne rapiatur
aliquando occasione necessitatis ex-
tra metas necessitatis.

2.

Christiani est pugnare aduersus Gu-
læ delectationem, q̄ percipit eiusdem
necessitatis occasione: itaq; se cōparat

ante cibum ac potum, ac si medicamentum sumere debeat, & dum inter edendum & bibendum noua insurgit voluptas, suspirat ad Dominum, ut ipse se regat, ne peccet.

SUSPIRIVM.

O Deus insurge aduersus in me insurgentem gula tentationem, ne cor meum grauetur crapula & ebrietate, ne venter mihi Deus sit, ne terrena sapiam, sed da, ut per abstinentiam hostem hunc frangam & fundam, & mentem spiritualibus cibis repleam: Et sicubi ignoro inuitatus a mundo quid agere debeam, ad te sint oculi mei, ne peream, inuocem dextram tuam ad salutem meam, ne eam post concupiscentias meas: sed tu Deus aufer a me concupiscentias carnis meae, ut cibus meus sit voluntatem tuam sancte facere. Amen.

II. Linguae deinde suae incontinentiam abnegat Christianus, non modo abstinendo a grauib. illis mortiferisq; peccatis, quae blasphemis, detractio- nibus, aliisq; linguae officiis committuntur, sed etiam cauet, ne per incu-

riam

riam labatur lingua, ideoque securim ad radicem mittit, ipsumq; omnium linguæ malorum fontem siccare studet, sibiq; cauet a verbis otiosis etiam & a multiloquio.

CANON. I.

Christianus cauet, ne verbis suis faciat aliorum mentes otiose peregrinari longius a cogitationibus utilioribus, vix vt ad se redire deinceps queant; sermonem igitur suum ad ædificationem fidei dirigit, vt det gratiam audientibus.

2.

Christianus discit utiliter loqui, dum accurate perponderat, quid, cui, quando, qualiter, & quantum loquatur.

3.

Christianus considerat tempus, quod teritur inutiliter loquendo, esse pretium pretiosissimum, diuinitus nobis concessum, vt eo vtamur ad procurandam salutem.

SUSPIRIUM.

Sancte dñe Iesu Christe, spiritus tuus bonus linguam meam regat, ne peccet, quandoquidem homo rationem de quouis verbo otioso est redditurus, & ex verbis suis iustificabitur, ex verbis suis condemnabitur. In lapsum pronus sum, dirige me in via sancta, nec subtrahere a me manū tuam, & da ne sermo meus aut ratione iustæ necessitatis, aut intētionē piæ utilitatis careat: ne spurcus sermo ex ore meo procedat, sed tantum bonus ad adificationem fidei, qui det gratiam audientibus, ne contristem spiritum sanctum. O Iesu, lingua mea gloria tuæ, & proximorum adificationi seruiat ad salutem meam. Amen.

III. Certamen etiam Christiano longum est aduersus spiritum luxuriæ & fornicationis; Immane bellum, quod cum a primo tempore pubertatis incipiat impugnare hominum genus, non, nisi prius cetera vitia superentur, exstinguitur.

Proinde Christianus intelligens inimicitias, quas in carne sua circumfert, hostium aduersantium robur

auda-

audaciam, insidias, periculum deniq;
 æterni supplicii quod imminet, nisi vi-
 riliter contra seipsum decertet, car-
 nem domãdo, libidinemq; coercen-
 do; ideo magna humilitate mentis ad
 Deum accurrit, & continentiam for-
 titudinemq; cum victoria ab ipso po-
 stulat.

C A N O N. I.

Christiani est carnem suam absti-
 nentia affligere; igni pabula subtra-
 here, cibos & vinũ, in quo est luxuria.

2.

Christianus interiorem hominem
 atq; cor suum custodit & curat, expel-
 lendo prauas cogitationes statim ac
 in animo excitantur, faciendoque vt
 loco vitiosarum, castæ & honestæ co-
 gitationes mentem occupent.

3.

Custodit Christianus sensus suos,
 eorumq; progressum ad exteriora ita
 moderatur, ne si, ad quæ velint, ef-
 fundantur, supernatantem sibi inter-
 dum animam fluctibus, & ad sua

vitia pertrahant. Abnegat itaque sensus suos, ne per eos quid sordidi penetret ad animam.

SUSPIRIVM.

Incontinens sum, Domine Deus pater, sollicitat me caro stimulis suis, continens & purus esse non possum, nisi tu des continentia & puritatis donum. En ideo te castum Deum adeo, & deprecor gratiam tuam, ut des mihi spiritum castitatis, qui me castificet, qui me purificet, ut legem peccati & membrorum superans, praeviam cogitationes pravas, hostes in fugam vertam, redeuntes repellam. Da Deus, da ut desideria carnis meae frangam frequenti abnegationis mei usu: da ferventem castitatis zelum, quo optem liberari de corpore mortis huius. Exstingue ignem carnis, ne urat me ignis orci. Potens quippe est manus tua ad sanandos omnes languores animae, sit etiam potens gratia tua ad lascivos corporis mei motus exstinguendos, per vulnera filii tui Iesu Christi. Amen.

*Avaritia
vitanda.*

IV. PULSATVS porro Christianus temptatione avaritiae, (quae est inexhausta

auidi-

aviditas plura semper possidendi, quæ nulla copia, diuitiis nullis satiari potest,) perpēdit grauitatē imānis huius sceleris, q̄ principium & causa est aliorum peccatorum, & sic auocatur a cupiditate rerum terrenarum.

C A N O N. I.

Christiani est, contentum esse paucis, vt est natura, & sic magnis molestiis liberari: Et si abundant diuitiæ, exercere liberalitatem.

2.

Christiani est considerare naturam huius vitii ex verbo Domini: *Qui festinat ditari, non erit innocens. Vitare enim peccatum negligit. Qui volunt ditescere, incidunt in tentationes & laqueos Diaboli. Item: Quid prodest homini si vniuersum mundum lucretur, anima vero sua detrimentum patiatur?*

S V S P I R I V M.

Spiritus auaritiæ fores animi mei non præteris, quin aliquando eas pulset. Adesto itaq; mihi Deus spiritu tuo, quo cor meum custodiatur, ne intromittatur. Doce me es-

se contentum paucis, ut viuam non ad opinionem, sed ad naturam. Prohibe ne capiar laqueis Diaboli & incidam in noxias tentationes. Sed potius concede gratiam tuam, qua mihi thesauros queram, & ponam in caelis, ut sim in te Deo meo diues. Et tu Domine redemptor Iesu, qui auaritia inimicissimus pauperem vitam prætulisti omnibus Mundi huius commodis, fac ut fidam huic tuae promissioni: Pater vester scit, quod iis indigeatis: Noli timere pusille grex, complacuit enim patri vestro dare vobis regnum. Amen.

Iracundia
vitanda.

V. Præterea Christianus renuntiat IRACUNDIÆ, quæ hominem exuit similitudine Dei, paritq; rixas, tumorem mentis, indignationem, clamorem, contumelias, verbera, cædem. Mens itaque Christiani se ad aduersa præparat, ut venientia tanto fortius excipiat, quanto se cautius ex præsentia armauit: atq; ita hostiles incursus quasi in insidiis vigilans expectat. Cogitat insuper probra redemptoris sui, ut eorum cogitatio morsus cor-

dis

dis & impulsus deleat, & animum in
statum tranquillum deducant.

CANON. I.

Coercet Christianus impetum iræ
virtute mansuetudinis, qua patienter
illatam iniuriam tolerat, dum pie me-
minit, se fortasse adhuc habere, in quo
debeat ipse tolerari; *Erubescit*, inquit
Gregor. *sibi peccata non parcere, qui Deo
vel proximo sepe se recolit parcenda pec-
casse.*

2.

Christianus iram suam a proximo
suo deflectit in seipsum & peccata sua:
A deo que studet saltem cohibere ex-
ternos motus, si internos nõ ita facile
aut cito possit; hinc seipsum erubescit,
etiamsi animo solũ, non extra, iracun-
dia concitatur.

3.

Ex vrgente iracundia iusta, cauiet,
ne præueniat rationem sed sequatur;
sitque non dux, sed ministra consilii
& officii.

SUSPIRIUM.

Vacuum iracundia insania animum concede, misericors Deus, eumque spiritu mansuetudinis reple, ut solerter ante actionis meae primordia mediter aduersa, ut haec cogitans, semper contra haec patientia thorace munitus, & quicquid acciderit prouidus superem, & quicquid accesserit lucrum putem. Si forte turbor, pater, quis enim inter turbas mundi non turbetur? fac ut animi turbationem, velut quandam intra littus abruptam undam retineam, & postea erubescendo me latrantem mentem sedem, in cordis recessu rationis & Christi tribunal reuerear; si irasci velim, peccatis & lapsibus meis irascar, me ipsum auerfer, tibiq; supplex factus, me ipse corrigam, & vita sancta te glorificem. Amen.

VI. Abneganda aliquando Christiano insultans acedia seu aggrauans
TRISTITIA, quae totum hominem torpore pigro deiicit, & inducit mentis continuam amaritudinem. Orandum igitur est, ut a languore & tædio isto bene faciendi a Deo liberemur.

*Tristitia
abneganda.*

Resi-

Resistendo etiam superanda ista languida animi deiectione, & repetenda spiritualia exercitia, ut ita extincto accedentis languore, prioris spiritus feruor denuo excitetur.

CANON. I.

Christiani est vitare otium, ne incidat in acediam, quæ coniuncta est cum grauioris mali periculo, nisi celeriter conuellatur. Tepidus enim homo timebit periculum recidendi in pristina peccata, & ita perdedi omnem fructum vitæ bene institutæ: imo maioris alicuius ruinæ, & nunquam emergendi ex gurgite huius torporis spiritualis.

2.

Considerat Christianus infelicem hominis tepidi statum, in quo quietus esse diu non potest tepidus, quin agitetur cogitationibus & scrupulis, & tædium ipsum. Etiam si desint alia, non potest non cum angere & conficere. Intelligens itaque iram Dei sibi

imminere, praecipuat faciem eius in confessione.

SUSPIRIVM BERNH.

Trabe me post te; in odorem unguentorum tuorum curremus. Propterea opus habeo trahi, quia refriguit paulisper in me ignis amoris tui, nec valeo a facie frigoris huius currere modo, sicut heri & nudiustertius. Curram autem postea, cum reddideris mihi letitiam salutaris tui, cum redierit melior temperies gratiae, cum soli iustitiae iterum incaluerit, & pertransierit tentationis nubes, cum ad leuerm flatum aurae blandioris solito caeperint unguenta liquefcere, & aromata fluere, & dare odorem suum. Spirantibus unguentis curram, quia abscedet torpor, qui nunc est, & reuertetur deuotio, & iam non opus erit ut trahar, quippe odore excitatus sponte curram.

Superanda in super Christiano saepe noxia **PUSILLAMITAS**, qua impeditur progressus spiritualis in pietate, & quidem animi magnitudine, ut possit cum Paulo dicere: *Omnia possum*

Pusillanimitas fuganda.

in eo

*in eo qui me confortat. Alioqui existit
mœror ob euentus futuros noxius, &
angustia afflictæ conscientiæ.*

Ergo Christianus cum pusillanimitatis angoribus confligens ad spem de diuina prouidentia magnopere se erigit: Magnoq; animo sese obicit turbæ illi phantasmatum, confidendo diuino auxilio.

C A N O N.

Christianus deiectus pusillanimitate, cogitet se humiliari, vt prosternatur occultior quædam superbia, quæ sæpe bonis insidiatur; Et vt absumatur amoris proprii illa affectio, qua sibi nonnunquam placet plusquam par est.

S V S P I R I V M.

Vexor, o Deus, nimium quantum pusillanimitate, quã optem omnib. suis fibris ex corde meo euulsam, scrupulis excrucior quotidianis, vt expergiscar, fac Deus vt sensim dilabatur animi mei angor tibi notus. Solum solum peccatum me an-

git, & reddit pusillanimum; tolle illud, & sustulisti hanc. Magna mihi spes est in misericordia tua, & ideo dico tibi: Solare animam serui tui, quia ad te, Domine, animam meam leuavi. Dices enim: Ego, ego ipse consolabor vos, ego feram, ego portabo & saluabo, quoniam ego sum Deus. Obducam cicatricem tibi, & vulnera tua sanabo. Ad punctum paulisper dereliquisti me, in miserationibus magnis recollige me: da pacem animi, da patientiam, eripe animam meam, ne in formidolosis his scrupulorum suspicionibus immoretur & immoriatur.

VIII. Abneganda Christiano est
 I N V I D I A, ne doleat proximi sui prosperitatem & rerum optatum successum. Proinde Christianus nihil rerum humanarum magnum, nihil supra naturam existimat, nihil etiam humanum admiratur, ut ipsi inuidia dominari non possit.

C A N O N. I.

Liuoris peste ne corripatur Christianus, illam hereditatem deligit &

diligit,

Inuidia
 abneganda.

diligit, quam coheredum numerus non angustat, quæ & omnib. vna est, & singulis tota.

2.

Christianus considerat mala ingentia, quæ ex inuidia, tanquam ex fonte, emanant, grauitateque huius peccati, & difficultate curationis huius mali, profligat hanc pestem.

SUSPIRIUM.

Monstrum liuoris ab animo meo auerte Deus, quod adeo est fœdum malum, ut inuidus ipse se prodere non audeat. Bona proximi, ne me feriāt, sed gaudio efferant: successum proximi ne ducam meam calamitatem, sed prosperitatem. Discedat liuor iners & edax, accedat caritas beneuola & benefica cunctis, quæ se diffundat in proximi mei bona congaudendo & congratulando, in proximi mala commiserando, & opitulando. Procul hinc facescat Satanicum malum, membra sumus in Christi corpore, bene velimus & faciamus nobis inuicem, ad gloriam tuam & edificationem corporis Iesu Christi. Amen.

Superbia
abnegan-
da.

IX. Abnegandus est Christiano a-
nimi inflatus *tumor* & *superbia*, omnib.
virtutibus contraria, & radix omnium
vitiatorum. Perpendit itaque Christia-
nus in timore Domini superbiorum
casus varios, in S. literis commemo-
ratos: Expendit magnitudinem pec-
cati huius, quod tantum malum est, vt
ipsum, ad quem pertingit, aduersa-
rium habere mereatur. Meditatur vi-
tam & mortē seruatoris sui Iesu Chri-
sti, qui cum esset in forma Dei, tamen
se humiliavit, factus patri obediens vs-
que ad mortem.

C A N O N. 2.

Christianus timet in omnibus Do-
minum Deum suum, & diligenti cau-
tione rebus suis prudenter prospicit,
pugnat aduersus elationis iacula, vt in
semetipso humilitatem custodiat.

2.

Abnegat amorem proprium, qui
vel parens est superbiæ, vel ipsamet su-
perbia, progrediturq; ad sui ipsius cō-
temptum, atq; sic contemptu & abnega-

tione

tionem sui superbiae interitum affert.

SUSPIRIUM.

Magna est miseria, superbus homo; magna itaque felicitas, homo humilis.

Aufer miseriam, pater misericors, qui superbis resistis, & largire felicitatem, qui humilibus das gratiam. Melius est humiliari cum mitibus, quam dividere spolia cum superbis. Deprime Deus, quicquid est tumidum, humilia, quicquid est altum, ut humiliato spiritu participes gratia tua.

Fac me pauperem spiritu, ut meum sit regnum caelorum. Exemplar mihi sit Iesus Servator, ab hoc discere animus est humilitatem & mansuetudinem: O utinam concordantur omnia facta mea pia humilitate, ut nihil per contentionem, nihil per inanem gloriam, omnia per humilitatem, ad edificationem Ecclesiae, ad gloriam Dei faciam.

Amen.



C A P. XIX.

Christianus crucem suam tollit quotidie.

IACTENVS de Abnegatione sui ipsius Christiana egimus: Iam altera pars Regulæ, quæ vitam Christianam moderatur, venit consideranda, & hac lege continetur:

Crux sua Christiano tollenda est quotidie.

Hac lege præcipitur unicuique Christiano, Christum sectaturo & in ipso vitam æternam adepturo, tolerantia crucis, ut crucem suam tollat quotidie. Vbi primum ipsam excutiemus legem, deinde causam & effecta crucis tolerandæ cum consolationibus meditabimur.

In

In ipsa lege, quatuor distinguimus:
 1. *Christiani, quæ crux.* 2. *Sua quæ cuiusq;*
crux, 3. *Crux quomodo tollenda,* 4. *quan-*
do, nempe quotidie, tollenda sit.

I. CRUCIS nomine genus omne afflictionum, quæ homini accidere possunt, designatur.

Nomen illud afflictionibus imponitur per similitudinem crucis & passionum Christi, quo cum nobis in nostris afflictionibus communio intercedit. Cum enim Dominus & Magister noster Iesus, acerbissimam & ignominia plenissimam mortem, in cruce pro nobis obierit; etiam omne id, quod membra illius ob nomen eius subeunt, ac perferunt; *Crux* dicitur, ut voce illa salutaris communionis, quam cum Christo habemus, commoneamus.

CANON. I.

Cum afflictiones Christianorum sint crux, æquum est, ut ad exemplum Christi, cuius socii sumus, non modo vulgaria & leuiuscula, verum etiam

Crucis nomine quæ veniant.

maxima & asperrima quæq; perpeffu,
placido animo, & infracto corporis
robore perferamus. In coniunctione
spirituali, communio lucis prærequi-
rit communionem crucis.

2.

Cum Christiani afflictio appella-
tione crucis Christi insigniatur, facta
collatione afflictionum Christi & no-
strarum, apparet Deum patrem nos in-
dulgentius & benignius hac in parte ha-
bere & tractare, quam ipsum filium suum
unigenitum tractavit. Immensa igitur
bonitas Christi est, qui & tanta nostri
caussa perpeffus est, & exiguum id,
quod nos patimur, suæ crucis nomine
dignatur.

3.

Cum Christo placeat nos in cala-
mitatibus nostris, suæ crucis habere fo-
cios; profecto nos gloriæ quoq; & bea-
titudinis, qua per suam crucem poti-
tus est, cum illo confortes erimus.

SUSPIRIVM.

Domine Iesu crucifixe & resuscitate, oro

te per

re per crucem tuam, ut quaecunque crux
mihi imposita fuerit, me commonefaciat,
suauissima tuae communionis, qua me di-
gnatus es, sciamq, quia me tibi communi-
one iunxisti, tua quoque interesse, ut omnia
que mihi socio tuo eueniunt, perinde ut
tua, cures, in te suscipias, meque iuando
leues. O Christe, qui sanctificasti crucem
meam, suffice vires perpetiendi, & sta
promissis tuis. Vos estis, inquis, qui per-
mansistis mecum in tentationibus meis;
Ego igitur paciscor vobis, prout mihi pa-
ctus est pater regnum; ut edatis & biba-
tis super mensam meam in regno meo. Si
tecum mortuus fuero, etiam tecum vi-
uam; si toleraueo tecum, etiam tecum re-
gnauero. Vis enim ut ubi tu es, etiam
sit seruus tuus. Sim itaque tecum in caelis.
Amen.

C R V X autem Christiani vel est
Communis, vel Peculiaris: COMMVNIS
est calamitas, cui omnes homines
cuiuscunque religionis, aut sectæ sint,
communiter secundum naturæ cur-
sum expositi & obnoxii sunt; quoniã

a peccato originem habet. vt molestus labor, anxia sollicitudo, dolor, luctus, lassitudo, fames, algor, calor, discordia, bellum, cum multiplicibus morbis, & denique amara mors, quam nobis Deus in temporalem peccatorum pœnam constituit.

C A N O N.

A calamitatibus communibus nemo hominum, suo modo, liber & exemptus est.

Cruce peculiaris.

C R U X P E C V L I A R I S est, quæ Christianis maxime propria est, scilicet piis & credentibus, quæ licet non sine prouidentia Dei imponatur, proprie tamen proficisci solet a profligatis atque impiis, qui lucem veritatis, cum per eam mali illorum mores & inhonesta facinora arguuntur & deteguntur, sunt exosi. Hinc adeo est, quod veri Christiani indigne tractentur, falsorum criminum insimulentur, maledictis proscindantur, in carceres coniiciantur, fortunis mulctentur, in exilium relegentur, horrendum in modum e medio tollantur.

C A-

C A N O N.

Nullus vere fidelis Christianus est, cui Christus non imponat crucem Christianam. Et nullus infidelis & impius est, qui fidelem & pium Christianum non oderit & persequatur.

S V S P I R I V M.

Cum inevitabilis sit communis afflictio homini, & Christiana crux fidei, adeoq; fidelis obnoxius sit, & cōmuni, & suæ cruci; O Deus miserere miseri & imbecillis, neque desere sub pondere calamitatum gementem. Adde robur animo, ut cum fidelissimis tuis amicis & servis sanctis fortiter introeam per angustam portā & strictam viam, & inueniam vitam æternam. Scio me in mundo oppressionem habiturū, lamentaturumq; mundo tripudiante, da patientiam, affer lasso & tristi cordi gaudium, quod nemo a me tollere queat. Amen.

II. Deinde tradit Christus, quam crucem subire homini Christiano cōueniāt; Tollat, inquit S V A M crucem. S V A igitur unicuique Christiano crux.

tollenda est, hoc est, quicquid ipsi quasi proprium Deus imposuit, qui pro sua sapientia & benignitate bene nouit ea singulis imponere, quæ ipsis & necessaria & utilia esse videt. Manente nihilominus rata lege Christianæ caritatis, quæ iubet tristes esse cum tristibus, plorare cum plorantibus, & tanta inuicem commiseratione affici, ut validi onera infirmorum, & erecti iacentium in se sublata ferant.

CANON. I.

Nemo Christianus scrupulosa curiositate Deo præscribit quid quantumq; sibi imponere, quomodoque secum agere debeat nec appetit alterius mala præ suis, aut sua onera cum aliis permutat; sed malum illud, quod sibi accidit, suam crucem agnoscit ac censet.

2.
Pie & innocenter viuenti nunquam labores & res aduersæ sunt defuturae. Sua quippe cuius Christiano crux ferenda est, ideoq; aliquam habet, & quidam suam, non alienam.

3. PIUS

3.

Pius Christianus oculos ad alios non conuertit, nec ipsorum crucem sua leuiorem æstimat, neq; sub sua impatiens & inuitus, Deum plura sibi & difficiliora aliis imposuisse opinatur. Sed nouit & statuit Deum singulis imponere suam crucem, prout cuiq; suam tribuit gratiam.

4.

Nullus sibi ipsi calamitatum auctor fit, sed quæ a Deo crux sibi imposita est, aut imponetur, eam & excipiat & contentus ea sit.

5.

Interim Christianus res aliorum calamitosas non negligit, sed ex caritate alter alteri onera portare satagit.

P R E C A T I O.

Fons omnis sapientie Deus, pater omnis misericordie ut mihi spiritum & gratiã tuã admetiris, ut mea habeã dona, Ita & mihi calicem & crucem propinas & porrigis, ut ex tuo calice, meã ebibã crucẽ. Sine cruce Christianus esse non possum, da

in cruce lucem. Propriam imponis, da ut meam ferens placide, ad alios nō respiciam, nisi quantum lex caritatis postulat, ut commiserationis affectu eos complectar in cruce sua. Forte qui nulla manifesta miseria infelices cernuntur, grauioribus malis suo animo anguntur, quam mihi patet. Prohibe o Deus, ne extra tuum ordinem mihi ipse crucem fabricem, sed expectem diuinam tuam vocationem; ne anteuertam te Deum, & laboribus molestiisq; ab officio meo alienis implicer. Vnaquæq; dies suam secum trahit sollicitudinem, vnaquæq; vocatio, status, ordo, officium suam secum affert crucem. Hanc fac patienter feram, meamq; functionem debita industria obeam, ad inserviendum tibi Deo, mihi, & proximo. Amen.

III. MANDAT porro Dominus, vt Christianus ipse TOLLAT crucem suam, hoc est, onus sibi a Deo destinatum volens & lubens in se tollat & suscipiat, adeoq; alacritatem & promptitudinem animi etiam in cruce ferenda erga Deum declaret.

C A N O N. I.

Non *omnis*, qui fert *crucem*, tollit *crucem suam*; Siquidem multi ferunt *animo inuito & impatiente*.

2.

Genuinus discipulus Christi est, qui *impositum a Deo onus* suapte voluntate in se recipit, *patienter fert*, a deoque gaudet, si Deo hac in re officium præstare possit.

3.

Verus Christianus *aduersa & crucem* non adeo formidat, nec *illegitimis viis excutere nititur*: sed sæpius spiritu suo lætatur se dignum estimari, ut propter Christum non nihil patiatur; confiditq; Deo, qui fidelis est, nec finit suos tentari *supra & ultra vires*, sed vna cum afflictione etiam exitum dat.

S V S P I R I V M.

Mi Deus, concede prudentiam & alacritatem. Prudentiam, ut facile videam, ad quid me vocaueris, quidque mihi dederis ferendum. Alacritatem ut tollam

crucem meam promptè eam suscipiendo, non fremam contra te, & homines, quos mali mei auctores suspicor, sed potius gaudeam mihi datum esse, in Christi negotio non tantum in eum credere, sed etiam propter ipsum affligi. Quatenus enim confors sum passionum Christi, gaudere debeo, ut in revelatione gloriæ gaudeam exultando. O Domine effice, ut in cruce luce tua fruam, & sic patiar, ut glorier in afflictione cum gaudio spiritus sancti. Amen.

IV. Denique iubet regula Christi, ut quotidie crucem suam tollat Christianus: adeoque commendat illi perseverantiam in urgentibus malis, ne ob illa animo frangatur, & e pietatis statione digrediatur. Cum enim singuli dies suas cruces, labores & misérias habeant, necessaria hæc opera fuerit, ut quotidie Christianus se ad miseram sortem irrumpentem, ac qualvis molestias excipiendas comparet, ne renitens ac impatiens deprehendatur.

C A N O N. I.

Constantia requiritur in Christiano, ne defatigetur in opere Domini, neue respiciat ad tergum, sed vsq; ad finem perseueret: Siquidem quotidie ferenda ipsi crux.

2.

Improbis Christi seruus est, qui sibi ipsi vacationem a labore, & ferias a cruce indicit, nec Domini sui iussum expectat. Quotidiana est Christianorum crux.

S V S P I R I V M.

Sub onere crucis meae quotidiana, urgentibus me malis suspiranti mihi ad te Deus benigne adspira, da vires perseverandi cum forti constantia, ne conquiram effugia, aut ex campo certaminis mei ad quietem me subducam, ne retro respiciam & deficiam, sta Deus mihi ad dexteram, & suppedita baiulandi robur, ut instar militis Imperatoris mei Christi legitime certem ac victoriam reportem, atq; tandem coronam vitae aeternae accipiam, aeterna vita mihi perpetuo duraturam afferat; Interim

da Deus, ut quicquid imponis, libenter suscipiam & feram constanter, adeoque bonum certamen certem, fidem & bonam conscientiam retineam, & aeterna luce, post hanc crucem, donatus refociller. Amen.



C A P. X X.

Christianus ignita tela Diaboli excipit & elidit.

Porro autem Christianus Crucis sustinendæ varietatem experitur miram, tum remedium eius sibi comparat.

Varietatem crucis sentit in Interna & Externa cruce.

Internam crucem dico Satanae ignita tela in Christianum contorta, quæ ipsi excipienda & elidenda.

Iacula autem hæc ignita, quandoq; non sine singulari Dei consilio & permissu

Crucis
varietas
Cruce in-
terna.

missu

missu in Christianum contorquetur. De Paulo enim exstat hæc ipsius confessio & querimonia, 2. Cor. 12. *Et ne excellentia reuelationum supra modum efferer, datus est mihi furculus infixus carni, Angelus Satanae, ut me colaphis cedat, ne supra modum efferar. Super hoc ter Dominum rogavi, ut abscederet a me. Et dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea: Nam potentia mea per infirmitatem perficitur.*

C A N O N.

Christianus, cum tentatur, fremittu aduersus Dei iudicia ne peccet, sed cum Dauide modestissime dicat, Psalmo. 39. *Obmutui, non aperiam os meum: Nam tu fecisti.*

S V S P I R I V M.

O Deus cum tuo permissu iacula Satanae ignita in me experior, da ut iudicia tua agnoscens obmutescam, non aduersus te fremam, potentia interim tua perficiatur per miseram meam infirmitatem, ut celebrem tuam misericordiam, quando mihi tela illa neutiquam nocent, imo ad explorationem meam plurimum conferre experior

per Christi Iesu meritum & deprecationem. Amen.

Ipse vero Satan ignes iaculatur, qui iam angeli lucis amabilem personam mentitur, vt fucosa boni specie lædat; iam horribilem homicidæ larvam ostentat, vt ad desperationem adigat.

2. Corint. 11. *Sed metuo ne quomodo, sicut serpens Euam seduxit calliditate sua, ita corruptæ mentes vestra degenerent a simplicitate, quæ est in Christo Iesu.*

Vtitur autem Satan, cum mediate ignita sua iacula eiaculatur, alias seductorum opera, vt animam lædat; alias mûdi opera, vt etiam corpus male afficiat; alias rerum aliarum, seu vtilium, seu noxiarum ministerio, vt hominis fiduciam a Deo auertat, eoque rem deducat, vt rebus creatis homo plus æquo tribuat.

Sæpe etiam sancti ipsi fidei subita infirmitate laborantes, seu in offensa aliqua præoccupati, seu hominum metu impulsivi, seu simulatione abre-

pti,

pti, præter animi sui sententiam voluntatemq; ignitis telis seiplos & alios lædunt, Satanæ mirabili quodam vaframento & stratagemate circūuenti.

C A N O N.

Sobrius itaq; sit & vigilet Christianus, artibusq; Satanæ animaduersis, pspicienter caueat, ne incidat in Satanæ ministros, vel per impudētiā Satanæ hosti, vel seipsū vel alios Christianos impetenti, mutuas tradat operas.

S V S P I R I V M.

Prudenciam sanctam doce me, O Christe, quam tuis mandasti discipulis; Ouis quippe inter lupos versor, ne ab hostib. meis eorumque insidiis circumuentus, minister iustitiæ transformer in Satanae ministrum. ne me seductum leo rugiens deuoret, ne me homicida & parens mendacii fascinet, ne amplexer Mundi amicitiam, quæ est cum Deo inimicitia, ne ipse me & alios sanctos lædam. Custodi me o Deus, ut pupillam oculi tui. Amen.

Præterea proditorem domesticū Christianus in sinu fouet, cuiº indicio

Satan non obscure cognoscit, quanta sit in ipso caligo & ignorantia rerū diuinarum: quæ voluntatis a Deo auersio: quæ intemperies & ἀταξία affectuum: vnde facile illi est, ea maxime parte hominem aggredi, qua præcipue laborat.

Aggreditur autem vel titillando id, quod malum in homine est, & noxium, vt illud foueat & ampliset; vel duriter impugnando id, quod bonum est, vt si fieri queat, illud radicitus euellat: vel ostentando bonum fucosum, vt reuera bonum ὄντως obscu-
ret: vel mentiendo, tum illa bona nobis plane adempta, quæ diuinitus nobis data meminimus; tum illa mala abesse, quæ tamen nos circumstant, & maxime urgent: vel in dubium vocando diuina mandata, promissiones, consolationes, comminationes.

C A N O N.

Viderit etiam atq; etiam Christianus, ne caro eius cum hoste colludēs,

& con-

& conspirans fenestram aperiat eiusdem ignitis iaculis. Est enim & ipsa hostis veteratorius & inconstans.

S V S P I R I V M.

Intra me est, o Deus, hostis, qui contra me est: in me, carnem & sanguinem meum mihi est insurgendum, ut me ipse abnegem. Doce, & iuva me carnem meam domare, crucifigere, & mortificare, ne me Satanae prodat proditrix. Caro mea concupiscit contra spiritum, da vires Deus, quibus spiritu incedam, & quod concupiscit caro, non perficiam. O quam vacors est caro mea, ut quæ serpentem Satanam in sinu fouere gestiatur. Compesce eius vacordiam, quæ Diabolo hosti suam nuditatem & infirmitatem retegere non metuit. Utinam caro mea sui mortificationem non refugiat, ad medicam Christianam non expauescat, sed se promptam tandem submittat curandam: Amen. Amen.

Satan sæpe ignitum telum infigit; memoria veteris aut recentis lapsus; per excitatam conscientiam; Aliquando subita mala, aut quæ mala vi-

dentur, vt vitæ delicatæ, interpellatrices, ærumnæ variæ, faciunt vt Satanæ spiculum hæreat infixum in visceribus.

Hæc interdum fulguris in morem subito emicant, ita vt homo turpitudinem suam circumcirca aspiciat: alias instar tonitru perterrefaciunt, ita vt conscientiæ inualescentes dolores sentiat cum horrore: alias fulminis ritu prosternunt hominem, cui nisi tū supponat Deus benignam manum, actum est de eo.

CANON φ. MEL.

Nemo Christianus est, qui non sentiat insignē aliquem Satanæ morsum. Quotus enim quisq; homo sanus, ignarium sibi infixum esse, siquidem sine cruentis lacrymis, sine cæco tamen conscientiæ vulnere, negauerit?

SUSPIRIUM.

Me miserum, quo confugiam, nisi ad te Deum meum? Vides Satanam in me sua vibrare iacula, & hoc agere, vt fure-

tur, dissipet, maculet, perdat quoscunq; potest. Omnipotens Deus exere potentiam tuam, ne patiare me oniculam Christo filio tuo subduci. Fac sim in manibus tuis, retine me, nec excidam ex iis, ne me iugulet hostis. Accende fove, firma, auge fidem constantem, qua possim Satana resistere, & tela eius ignita exstinguere. Imbellem me agnosco, sed omnia tamen possum, in eo qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me: huic sit gloria & robur in sempiternum. Amen.

Deinde Satan ignitis suis telis, ea maxime oppugnat, quibus Christianum instaurari ad vitam, non ignorat. Scit autem in Christo Iesu nihil magis valere, quam fidem, quæ per caritatem agit, Gal. 5. Scit nos, spe servatos esse. Rom. 8.

Fidem igitur, caritatem, & spem Christiani omni genere telorum oppugnat, & hoc agit, vt deposita fiducia erga conditorem & redemptorem Deum, eum amare, eius mandatis pare-

re, spemque immortalitatis, resurrectionis carnis, & æternæ vitæ fouere definat.

CANON. I.

Cauet sibi Christianus a periculis circumuolitantium telorum ignitorum, obseruando locum & tempus. Cum Satan immediate ipsum infestatur, nouit sibi periculum esse a solitudine. Cum vero mediate pugnat, discrimen sibi etiam ab hominum frequentia didicit.

2.

Militia Christianorum cum interdum interpoletur induciis; his durantibus maximum sibi a Satana eiusq; satellitib. periculum esse non nescit.

SUSPIRIUM.

Et soli mihi, & cum aliis versanti periculum Satan minatur: Væ soli, inquit scriptura, quia cum ceciderit, non erit secundus, qui eum subleuet. Si non sum solus, anima mea est inter leones, & iaceo inter uerentes, inter filios hominum, quorū dentes sunt lanceæ & sagittæ, & lingua eo-

rum

rum gladius est acutus. Doce me Deus prudentiam ubiq; locorum sectari: Hic etenim cum fortuna statq; caditq; fides. In tentationū & crucis induciis fac me cautum. Interrumpi enim videtur pugna, quæ per omnem vitam durare debet, periculosus sæpe induciis. Tum doce me maxime pugnare, & fac ut receptui canatur, cum vitæ animalis terminus incidit in latissimum spiritualis & perennis vitæ initium. Amen.

Torquentur autem in Christianum tela ignita a dexteris pariter & sinistris, illinc per res secundas, hinc per aduersas. Plus autem periculi est ab iis, quæ vibrantur a dexteris; Illa enim fucosa boni specie lædunt fidem, & inuocationem Dei languefaciunt, *φιλαυτίαν & κενοδοξίαν* fouent, & confirmant. Tela vero a sinistris per aduersa contorta, fidem ~~et inuocationem~~ accendunt, circumspectos efficiunt, ostendūt infirmitatem nostram tantam esse, vt Dei auxilio nunquam non nobis opus sit.

C A N O N.

Periculosius est Christianum tentari per res prosperas, quam per aduersas.

S V S P I R I V M.

Indue me Deus vniuersa armatura tua, cum confodior telis a dexteris & sinistris me impetentibus; firma me, ut possim stare aduersus insidias Diaboli. Vides enim ubique mihi esse luctam, non tantum aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus imperia, potestates, Mundi Dominos, rectores tenebrarum, & spirituales malitias in sublimi. Indue me robore virtutis tuae, sobrium me custodi, ut thorace fidei, caritate, & spe salutis armatus, subuertam munitiones hostium meorum per Iesum Christum. Amen.

C A N O N.

Christianus habens per Christum aditum, ~~per unum~~ spiritum ingreditur cum fiducia Dei sanctuarium, intuetur fide mediatorem, & vbi deficit, spiritus vna subleuat infirmitates eius.

S V S P I R I V M.

Excelsissime & sanctissime Deus, excelsum & sanctum quidem habitas, at contritum & humilem spiritum non despicias; humiliatū meum spiritum, & cor contritum vivifica. Peccavi, quid agerem tibi o custos hominum? Quare posuisti me in offendiculum tibi, & sum mihi oneri? Respice me & miserere mei, imo respice advocatum meum Iesum, pro meis peccatis propitiationem, & libera animam meam a laqueis Satanae.

S P I C V L V M M A L I G N I S P I R I T V S.

I. Deus oblitus tui, deseruit te, procul abit a salute tua.

S O L A T I V M S. S P I R I T V S.

Ies. 54. Momento paruo dereliquite: at in miserationib. magnis congregabo te. In momento iræ abscondi faciem meam a te, at in misericordia ~~semper~~ sempiterna misertus sum tui, dixit redemptor tuus Iehoua.

Iesaiæ 49. Nunquid obliuiscetur mulier infantis sui, ita ut non misereatur filii uteri sui? Etiam si ista obli-

*uiscentur: Ego tamen non obliuiscar tui:
Ecce in manibus descripsite.*

SPICVLVM.

Impurus es peccator, non es dignus tanta Dei misericordia.

SOLATIVM.

Ies. 48. Propter NOMEN meum differam furorem, & propter LAUDEM meam prolongabo iram meam tibi, ut non succidam te. Ecce purificauit, & non tanquam argentum: Elegit te in fornace afflictionis.

SPICVLVM.

Horribiliter tibi irascitur Deus: ideo infestos tibi reddidit homines.

SOLATIVM.

Ies. 51. Ego, ego sum consolator vester, quæ es tu, ut timeas tibi ab homine qui morietur, & a filio hominis, qui tanquam herba labitur?

~~SPICVLVM.~~

Fœdere gratiæ diuinæ excidisti, salute exclusus es.

SOLATIVM.

Ies. 54. Montes quidem mouebunt se,

& col-

& colles nutabunt: Misericordia autem mea a te non recedet, & fœdus pacis mee non nutabit, dixit miserator tuus Iehoua.

SPICVLVM.

Verendum tibi est, ne sis reprobus: quomodo esses electus?

SOLATIVM.

2. Cor. 13. Vos ipsos tentate, annon sitis in fide, vos ipsos probate. An non cognoscitis vosmetipsos, videlicet, Iesum Christum in vobis esse? nisi reprobi estis. Qui credit, habet vitam eternam.

SPICVLVM.

Exigua admodum & languida est tua fides.

SOLATIVM.

Ies. 57. Sic dixit excelsus & sublimis, habitans in seculum, & cuius nomen est sanctus: Excelsum & sanctum habito, & cum contrito & humili spiritu, ut viuificem spiritum humilium & ~~ex~~ viuificem cor contritum. Non enim in sempiternum litigabo, nec in seculum irascar. Quia spiritus, qui est a facie mea, induit (corpus) & animas ego feci.

SPICVLVM.

*Annon te terreat vox illa Christi:
Multi sunt vocati, pauci autem electi?*

SOLATIVM.

*2. Tim. I. Deus seruauit nos, & voca-
uit nos uocatione sancta, non ex operibus
nostris, sed ex suo proposito & gratia.*

SPICVLVM.

*En qualem habes conscientiam? decem
millia talentorum debes.*

SOLATIVM.

*Ies. 43. Ego, Ego sum qui deleo iniqui-
tates propter me, & peccatorum tuorum
non recordabor. Heb. 9. Sanguis Iesu
Christi purificat conscientiam tuam, &c.*

SPICVLVM.

*Quos, quaeso, motus spirituales in corde
tuo sentis & edis?*

SOLATIVM.

*Vbi ~~tenationis~~ paroxismus remisit,
senties. Hieron. Hac est in omnibus per-
fectio, sue imperfectiois cognitio. Bern-
hard. Studere perfectioni, est esse perfe-
ctum, sicut nolle proficere, deficere est.*

SPICVLVM.

*Omnes tibi infestos & aduersos experi-
ris, etiam amicos.*

SOLATIVM.

*Psalmo 27. Pater & mater derelique-
runt te, at Dominus suscepit te. Mat. 10.
Odio eritis omnibus hominibus propter
nomen meum.*

SPICVLVM.

*Damnatus es propter ingentia tua de-
lictâ.*

SOLATIVM.

*Rom. 8. Nulla nunc est condemnatio
iis, qui sunt in Christo Iesu.*

SPICVLVM.

*Tu vero non es in Christo Iesu, quia se-
cundum carnem incedis.*

SOLATIVM.

*Rom. 7. Ego seruo mente legi Dei, car-
ne vero legi peccati.*

SPICVLVM!

*At ubi fides, spes & caritas tua; si
mente seruis legi Dei?*

SOLATIVM.

Credo Iesum Christum esse filium Dei,

& credentes vitam habere per nomen eius,
Ioannis 20. Domine Iesu succurre mihi,
& tu Satan apage.



C A P. XXI.

*Christianus tollit crucem ex-
ternam tum communem,
tum peculia-
rem.*

*Cruce ex
terna.*



X T E R N A crux Chri-
stiano perferēda est, cū
aliis Communis, tum fi-
delibus Peculiaris.

C O M M U N I S crux imponitur, aut
vt natura imbecilli, aut vt conditione
& fortuna humili & abiecto: vt hic ni-
hil de flagitioso dicam.

H O M I N I, vt natura imbecilli, ac-
cidunt incommoda multa ac molesta
admodum, mox ab ipso partu, per o-

mnes

omnes totius vite ætates. Partus noster, cunabula, infantia, pueritia, adolescentia, iuuentus, ætas virilis, & senectus scatent multis molestiis. Recenseri haud possunt dolores, quos inferunt frigus, æstus, fames, sitis, & morbi unicuique ætati, & parti corporis peculiariter insidiosi: vt eos iam taceam, qui singulari aliquo casu accidunt. *Generaliter* quidem vniuersa natura hominis corrupta est, imbecillis, ac morbida, verum corruptio illius, unicuique ætati peculiare quasdam molestias gignere solet: quæ sunt communes tam bonis, quam malis; tam superioribus, quam inferioribus.

C A N O N.

Meminit Christianus se hominem esse, ideoque sibi multa humana esse perpetienda, secundum communis naturæ defectus, quos extrema demum mortis necessitas terminat.

S V S P I R I V M.

Homo sum, perpeffiones hominum qui defugiam? O Deus, fac ræmen in omni af-

flictione humana ad te respiciam, tuam manum agnoscam & sustineam, sciamque me iustissima tua voluntate in tot labores & dolores incidere. Effice, pater, ne, aut stupore impio tuas castigationes contemniam, aut doloris vehementia impulsus, in impatientia voces erumpam. Da potius, ut serio resipiscam, & statuam tuam paternam esse manum, qua me velit castigare, non perimere. Ah cum blandiris pater es, cum cedis pater es: blandiris, ne deficiam, cedis ne peream. Sis itaq; pater mihi ubiq; & da sentiam te omnibus aduersis mihi propitium patrem in Christo Iesu. Amen.

Homini porro ut conditione & fortuna humili ac spreto accidunt contemptus, oppressio, spoliatio, egestas, cum omnis generis iniuriis, quibus a potentibus, qui tenuiores sunt obteruntur, ac perinde in hoc seculo atque pisces in mari a validioribus vorantur. Hoc genere crucis Christianus premitur, aut ut pauper, aut ut viduus & orphanus, aut ut pere-

grinus

grinus & innocens, ab iis, qui per omnes gentes impune dominantur & grassantur.

C A N O N.

Christianus, vt se hominem humanis submittit, ita sortem suam perponderat, se subiicit omnibus procellis, quibus ipsa solet esse in hoc immundo mundo obnoxia; cogitans se in mundo oppressiones habiturum plurimas.

S V S P I R I V M.

Scio mihi permultas afflictiones esse in Dei regnum ingrediendum, da igitur, misericors pater, multas vires, vt multas sufferam, per continuas arumnas pergam, & cogitem, quod per eas deducar, in regnum tuum. Mitius quidem cum quibusdam agis, Deus, at nemini tuorum ita indulges, vt a tribulationibus prorsus sit immunis. Pie quidem in hoc mundo cupio; odert itaque mundus, & persecutionem patiar, da vt cupiam. Fac, inquam, vt cum filio tuo hic patiar, vt cum eodem in caelis glorificatus regnem. Amen.

PECVLIARIS externa crux est
piorum Christianorum tantum, eaq;
Cruenta, vel Incruenta.

CRUENTA proprie dicitur *Martyrium*, nempe sanguinis & vitæ profusio ad veritatem Dei, tanquam externo & indubitato testimonio finaliter confirmandam.

INCRUENTA est calumniarum; ignominia, carceris, exilii, & aliorum periculorū perpeffio veritatis causa.

Vtraq; hæc crux pietatis & religionis, eiusq; confessionis gratia infertur, quibus & eam adiicimus, quam homines Iusti propter iustitiam perpetiuntur.

I. Principio enim, quotquot vere pii sunt in Christo, illiusq; verbo sincera fide adhærent, impiis huius seculi filiis valde displicent; quia studia ipsorum probare non possunt. Et hoc principium est earum afflictionum, quibus pii in hoc mundo infestantur: id quod ipsis hoc est molestius, quo

ma-

magis omnibus in bono placere fatagunt.

C A N O N.

Nullus Christianus, qua Christianus, huic impio mundo placere potest; quia similis similem amat: Et contraria contrariantur contrariis. Nulla itaq; communio fidelis cum infideli.

S V S P I R I V M.

Tibi placere, est mundo displicere, sancte pater; & Mundo placere, est tibi Deo displicere. Si hominibus placerem, Christi servus non essem. Fac tibi uni & omnibus tuis placeam, & suscipere deus, feram, me mundo & omnibus mundanis, hostibus tuis, displicere. Tolle a me, quo tibi displiceo, & mundo placeo, & da mihi, quo tibi placeam, & mundo displiceam, ut favore tuo diuino me complexus, gloria caelesti bees.
Amen.

2. Displicentiã hanc e vestigio consequitur odium infensissimũ, ac plusquam vatinianum, quod Satan miris

modis in animis impiorum contra
pios inflammare solet.

C A N O N.

Omnis Christianus, quia Mundo
displicet, Mundi quoq; infesta odia
perfert: Magistrum Iesum odit Mun-
dus, discipulos Iesu quid ni odisset?
*Odio eritis omnibus, inquit Christus,
propter nomen meum.*

S V S P I R I V M.

*Te prius odit Mundus, Iesu Christe;
oderit itaq; me tuum discipulum. Malo
me mundus, quam tu oderis. Mundus
perit, tu permanes. Spiritu tuo me robo-
ra, ut odia mundi, & impiorum non ita
metuam, ut quicquam omittam, quod ipse
Deus iubet, aut faciam quod prohibet. Oc-
cidet impium malitia, & odio habentes
iustos perdentur. Ama, fove, tuere me,
& odio me prosequatur, quicquid est con-
trate. Amen.*

3. Ex odio nascuntur omnia mala,
quibus Christianus excarnificari so-
let. Confestim enim exoritur con-
iunctorum separatio, qua omnis sol-

uitur amicitia, cognatio, & familiaritas, sic vt liberi a parentibus, parentes a liberis, frater a fratre, coniunx a coniuge, amicus ab amico, vicinus a vicino separentur. Mox atque animi in caussa religionis separantur, vt diuersæ sint sententiæ, ac diuersa voluntas, simul ipsa vitæ societas dissilit, vt qui coniunctissimi fuerant, a se inuicem diuellantur.

C A N O N.

Sic comparatum est ingenium humanum, vt obsequentes amanter cõplectatur, veritatis vere studiosos odio prosequatur: Et quos odio prosequitur, auersetur, illorumque societatem contentiosa separatione fugiat.

S V S P I R I V M.

A mundo separari, Christo coniungi est: a mundo reici, est Christo adiici. Da hoc, Deus, vere credam, & efficaciter sentiam. Christus caput meum sit, cui in corpore membrum sim unitissimum. Christus vitis mea sit, cui palmes sim perpetuo & artissime insitus. Si homines me a se

disseparant, tu me Deus recipe, & unito me filio tuo Iesu Christo, & libenter ero reiectamentum mūdi huius, hominum purgamentum, ut Christus in me faciat vivum incrementum salutaris secum coalitionis. Amen.

4. Separationem comitatur abominatio, qua impii veros & pios Christianos, quasi omnium impurissimos, execrantur: Ideoque proclamantur *Heretici*, & odiosis factiosisque nominibus insigniuntur, ut eo magis populo sint abominabiles.

CANON.

Verus Christianus in mundo Mundo habetur pro Catharmate: In eiusque oculis execrabilis videtur: Idque ipsi non abiecto ferendum est animo, modo crucem suam velit quotidie tollere.

SUSPIRIUM.

Vides me, Domine servator Iesu, contemptum, & abominationi esse multitudini huius mundi, miserere mei, & conserva me sub alarum tuarum umbra. Sordeam

homi-

hominibus, modo non sordeam tibi. Benedic me abominantibus, ut resipiscant, & benedictifiant. Mibi non fuerit turpe pati ea, quæ tu Christe hic passus es. Nec hostibus meis me execrantibus est gloriosum fecisse, quæ fecerunt te execrantes & persequentes. Sanctifica me Iesu, & detestentur, deuoeantq; me diris omnes inferorum portæ. Iesu adsis, nec desere desertum. Amen.

5. Abominationi iungi solent blasphemix, probra, conuitia, quibus pii Christiani ab impiis, iniquissimis modis proscinduntur, & aliorum (præsertim vero rudis plebis, & credulorum principum) odiis & abominationi exponuntur. Neq; enim satis esse putatur, si priuatim nonnullis, nisi & publice omnibus sint pii abominabiles.

C A N O N .

Nouerit Christianus, ita comparatum esse in mundo, fore ut in ipsum impudenti, impotentiq; impetu insurgere latratores & rabulæ Mundani

non erubescant, calumniam pro caritate vsurpantes, dentem pro lingua, & plaustra cōuitiorum & criminationum falsarum in ipsum eructantes. Ferre itaq; & probra, & calumnias discat Christi discipulus.

SUSPIRIVM.

*Respice me clementer, oculis misericordiae tuae, o Deus, sana & confirma magis & magis in veritate & caritate, aliis me probris & calumniis putide conspurcanti-
tibus. Dele, queso, calumnias & blasphemias impudentium Hierophātārum, quas quotidie cyclopico furore cōtrate & membra tua effundunt, ne numen & nomen tuum sub pretextu zeli non Christiani ab iis perpetuo ludificetur. Da etiam mihi humeros pares ferendo oneri probrorum & conuitiorum, ne onustus succumbam, sed te letus bona cum conscientia laudem semper. Amen.*

6. Deniq; accedit indefessum nocēdi ac perdēdi studium, quo Impii piorum & honori, & fortunis, & vitæ perniciem machinantur. Vnde perse-

cutio,

cutio, exsiliium, verbera, vincula, condemnatio, gladius, ignis, &c.

C A N O N.

Quicumque Christianus pie cupit viuere in Christo Iesu, persecutionem patiatur necesse est. Vt vero impietas sæua est, crudelis, & atrox aduersus electos Dei: Ita & ingeniosa est, ad excogitandum varias afflictionum & cruciatuum formas: quibus sufferendis virum vt se præstet Christianus, spiritus sancti singulari opus est robore & virtute.

S V S P I R I V M.

Scio, Domine Iesu, Tyrannorum minas & ferociam, non tam in Christianos, quã in te Christum inferri. Viuis enim in tuis. Tangens tuos, tangit pupillam oculi tui: Iniuria quæ fit membro corporis, redundat in caput. Tu caput nostrum es, Iesu, spes unica & perflugiur, miserere nostri, respice, ne despice nos; Exsere virgam tuam ferream, & occurre persecutorib. nostris. Fac erubescant & pudescant, qui querunt animam nostram, &

qui virulentos suos aculeos in te & nos iacere conantur, aut conuertantur, aut sentiant tandem se contra stimulum calcitrare, se asinos esse vel boues stimulo obnoxios, ut tibi laus & honor in perpetuum fiat. Amen.



C A P. XXII.

CHRISTIANVS ad tollendam suam crucem, patientia, malorum remedio sibi comparato, pie utitur.



REMEDIUM cuius dolori est PATIENTIA, quæ crucem, cum a Deo imponitur, non iniquo animo suscipit, & fortiter sustinet, seu moderate fert, nec malis succumbit,

nec

nec animo frangitur, nec temere de-
sperat. Coloss. 1. *Omni robore corrobora-
ti, secundum gloriosam vim ipsius, ad o-
mnem tolerantiam & animi lenitatem cū
gaudio.* Luc. 21. *Per patientiam posside-
te animas vestras.*

Patientiæ autem Christianæ Pro-
phylactica sunt duo: I. Corroboratio
spiritus sancti. *Phil. 4.* *Omnia valeo
per Christum, qui me corroboret.*
Phil. 1. *Quia vobis datum est in Chri-
sti negotio, non solum in eum crede-
re, sed etiam pro eo affligi.*

C A N O N. I.

Omnis Christianus mature cogi-
tat de acquirenda patientia, vitæ &
malorum suorum antidoto, vt caueat
peccatum tristitiæ seculi huius, quæ
mortem operatur; sibi propositam
nouit patientiam diuinam, virtutem
in exemplo filii Dei, eamq; opus ha-
bere perfectum. Sine hac ferri recte
crux nulla potest.

2.

Cum inexpugnabili patientiæ scu-

to diuinitus armentur Christiani; do-
num patientiæ a Deo per Christum
exorat Christianus, vt spiritu Dei cor-
roboratus per Christum omnia va-
leat.

SUSPIRIUM.

*Necessaria mihi est patientia, Deus au-
ctor patientia patientissime. Tuo autem
sine numine, nihil vera patientia est in ho-
mine. Da quod in me requiris, & impone
quoduis onus. Da spiritum roboris, qui pa-
tientiam in me creet, firmet, augeat, &
petram das, quæ ad nullas mouebitur in-
iurias; das turrim, quæ ad nullas concu-
tietur calumnias; das adamantem, quem
perfringet nulla plaga. Da vires incon-
cussa patientia, & fulcra crucis ingentia
pondera perferentia erigis. Tu solus fir-
mas, cui crucem formas, da tu, & potero
in Christo. Amen.*

II. Alterum prophylacticum pa-
tientia est sancta meditatio earum
quæ patientiam per consolationes in
nobis excitare possunt. Meditatio au-
tem hæc multiplex est.

I. Ma-

I. Maximum pondus habet consideratio æternæ prouidentia Dei, sine qua nihil homini accidit, sed omnia ex dispensatione & gubernatione eius fiunt. Deus enim omnes (vt David inquit) nostras fugas numerat; Ipsoq; inscio ac nolente, ne auicula quidem inutiles pereunt, & ne capillus quidē cadit de capite nostro. Is & vidit & audiuit Israelitas in Ægypto, cum durissimo seruitutis iugo oppressi essent. Is etiam in lege publice viduarū, pupillorum, peregrinorum, pauperum, & omnium afflictorum se tutorem offert, illorumq; preces se apertis & benignis aurib. accipere velle profitetur. Cur igitur impatientes in rebus asperis essemus, si Deum nos videre & audire cogitamus? Sæpe nos solatur & erigit, si spes est amicorū aliquē nostra aduersa scire. Quò magis itaq; hoc debem⁹ erigi, quòd totos nos & omnia nostra Deus nouit, & quicquid aduersi est, id ipso prouidente & immittente, euenit?

C A N O N.

Nemo vnquam Christianus statuit se casu affligi, sed consilio & prouidentia Dei, res omnes optima ratione disponentis, & curantis salutem nostram.

S V S P I R I V M.

Credo, pater, sine paterna tua voluntate & dispensatione mihi filio tuo nihil, vel boni, vel mali accidere posse. Voluntas autem tua, qui pater meus es, semper bona, imo optima est, in qua mihi acquiescendum. Quod si itaq; affligor, scio me ex tua voluntate affligi, tuum me accipere calicem, tua me virga castigari, tuo me baptismo tingi, in tua me probari fornace, in spiritus tui schola studere. Si fieri potest, tolle calicem: At non mea, sed tua fiat voluntas, ad salutem meam, & ad gloriam tuam. Amen.

II. Secundo sanctissimam Dei iustitiam & profundissimam eius misericordiam, mente voluere oportet. Nihil enim prater meritum in nos immittit, & simul ea est benignitate, vt

ex merito nostro nos non perdat, sed misereatur nostri, quia expulvere terræ conflati sumus. Malorum autem, quæ nos premunt, causæ aliæ sunt ex primis nostris parentibus: aliæ ex nobis ipsis, qui affligimur; aliæ extrinsecus ex aliis; aliæ immediate ex Deo. Quæ esset igitur quærimonia, si aliud nihil patimur, quam quod aut multis modis commeruimus, aut quod impii, odio præter meritum nostrum in nos concepto, inferunt, aut quod ita Deo Domino nostro visum est, immittere ad gloriam suam manifestandam?

C A N O N.

Statuit Christianus Deum iustum & misericordem esse in cruce destinanda, & quantumcunque se puniat, non tamen plecti, prout dignus est, sed simul clementiæ suæ memorem esse, qua seueritatem castigationis suæ temperet.

S V S P I R I V M.

Tu Iehoua es, qui formas lucem & creas

tenebras, qui facis pacem, & creas malum. Ego vero sum plasma manuum tuarum. Natus sum filius irae in peccatis, morti, & corruptioni obnoxius, iure tuo me potes affligere: Sed misero mihi succurrat misericordia tua. Ipse ego, o quoties & quā graviter peccando iram tuā provocavi, premeritus mortem & pœnas eternas. Merito me cedis, iure me plectis. Sed clementia patris subueniat miseria filii culpam deprecantis. Misere mei secundum magnā misericordiam tuam: Ne intres in iudicium cū seruo tuo. Domine in furore tuo ne me corripe, in ira tua ne me plecte, misericordiam tuā ne auferas a me. Amen.

Tertio considerandum est consilium Dei, quo immittat afflictiones, qui ut non delectatur perditione filiorum hominum; ita nec afflictionibus illorum. Neq; enim est natura sævus & Misanthropos, sed bonus, mitis, & philanthropos, sic ut beneficentia delectetur.) Ier. 32. *letabor super eis, cū benefecero eis.* Cur igitur? Audi ipsius spiritum, Ies. 28. *ut faciat opus suum,*

alie-

alienum est opus eius: vt operetur operationem suam, aliena est operatio eius. Proprium Dei opus est afflictos liberare & seruare. At ingenii nostri malitiâ fit, vt instar fidissimi patris virgâ nos disciplinæ castigare & erudire cogatur, quoad proprium opus suû perueniat, & aliâs perituros seruet. *Osee. 2. 1. Cor. 11. Heb. 12.* Affligit itaq; peccantes, dū vias suas sequuntur, vt ad se conuersi, resipiscant, ne si hic impune peccent, se ipsi perdant.

At iustos homines Deus impiis & iniustis affligendos obiicit, 1. Vt in fide, spe, patientia, inuocatione, & laude nominis ipsius exerceantur. 2. *Deinde* vt, dum certamina afflictionum constanti fide ac tolerantia in hoc seculo sustinent, in Ecclesia aliis, quasi luminaria quædam, præluceant: atq; ita seruiant gloriæ Dei, dum potentia & bonitas in ipsis declaratur.

C A N O N.

Cum Christianus a Deo affligitur,

M.

cogitat, ex eo hoc non esse, quod Deus procliuis sit ad affligendum, cum id sit ab ipsius natura alienum, sed Deum flagellando se; aut opus alienum facere, ut ad id, quod propriū ipsi est, perueniat; aut eum velle fidem, spem, inuocationem, & laudem nominis sui in ipso exercere & probare; aut velle ipsum suo exemplo seruire Ecclesiæ fidelium, & gloriæ nominis sui.

SUSPIRIVM.

Tibi, Domine Deus, iustitia; mihi vero confusio faciei. Perfecta sunt opera tua, & omnes viae tuae iudicia recta; Deus fidelis es, & absq; vlla iniquitate iustus & rectus. Miserator interim es, gratiosus, & multa misericordia, cum flagellas me, facis opus alienum, ut possis facere opus tuū, & mihi conuerso aeternum benefacere. Fiat itaque in me operis alieni experimentum, ut proprii tui operis beneficium, in me cum gaudio deprehendam. Si vis, explora & exerce fidem, spem, & preces meas, sed in misericordia, ut tibi & aliis Christianis utiliter inseruiam. Amen.

Quarto, necessaria utilitas crucis nobiscum reputanda est. Primo enim Paulus ait, Rom. 5. *Gloriamur in afflictionibus, scientes, quod afflictio patientiam, patientia probationem, probatio spem pariat.* Ut enim spes infirma est citra probationem, probatio esse non potest sine patientia: Ita patientia esse nequit, ubi nulla est afflictio. Recte ergo omnis illa utilitas, quæ est patientiæ, probationis, ac spei, afflictioni tribuitur.

C A N O N. I.

Afflictiones utcumq; acerbæ sunt, vtilis tamẽ, & bonas esse statuit Christianus.

2.

Afflictionum patientia fides redditur probata, vnde spes est, quæ non confundit.

S V S P I R I V M.

Introeundum mihi est per angustam portam, & strictam viam, si ad vitam duci volo: Oportet quemlibet saluandum per multas oppressiones in regnum Dei ingre-

N

di: Ita, mi Deus, statutum est; ita iuramento hoc mihi filius tuus confirmavit, Amen, Amen dico vobis: Flebitis & lamentabimini: Mundus autem gaudebit. En hic sum seruus tuus, ut dona tua mihi admensus es, ita admetire crucem, quam valent humeri mei ferre; ut crux tua per spiritum tuum pariat patientiam, illa vero probatam fidem & certam spem. Sine his enim saluari nequeo. Probatam fidem & spem certam mihi contra inferorum portas eundum est. Da igitur quod bonum & necessarium est seruo tuo. Amen.

2. Terror afflictionum (seu vexatio) dat intellectum auditui, Ies. 28. quo quæ antea negligentius & minus intellecta ex verbo Domini audiuius, sub terrore crucis constituti, & inde quoque liberati, multo melius intelligimus.

CANON.

Christianus ex Dauide & experientia didicit bonum esse nobis, a Deo castigari & humiliari, ut discamus iustificationes seu mandata Dei.

SUSPIRIVM.

Tuam,

Tuam, mi pater, castigationem, ne unquam negligam, neq; deficiam animo, cū a te arguor, doce me. Quem n. pater, diligis, hunc castigas. Dilige me filium, castiga me pater, vt attentius tuā obseruē voluntatē, & discā iustificationes tuas, excussa q; omni socordia exclamem: Fidelis es, Domine in omnibus verbis tuis, & sanctus in omnibus operibus tuis. Amen.

3. Crux humiliat, sicut rerum prosperitas inflat & effert. Qui enim rerum successu potiuntur, hi animo fiunt elati, & in hoc mundo habentur sublimes. At qui cum cruce confitentur, vtrobique & in corde suo & in seculo humiliantur. In prosperitate, haud ipsi nos cognoscimus, quam simus & animo & fide & corpore imbecilles. Sed afflicti imbecillitatē nostram re ipsa experimur; atq; ita non solum in oculis mundi, sed in ipsa etiā conscientia nostra humiliamur.

C A N O N.

Nouerit Christianus ferociam ingenii & carnis nostræ cruce compe-

sci debere, vt nostram infirmitatem recognoscamus, humiles modestiq; reddamur, & a nimia virium nostrarum confidentia auocemur.

SUSPIRIVM.

Re ipsa comperio carnis meae malitiam ac superbiam, fateor mihi opus esse, aliquando tua humiliatione, vt non efferar. A te exaltari non possum, nisi fuero prius humiliatus; humiliari non possum, nisi me ipsum nouero, & infirmitatem agnouero: Non nouero, nisi crux detexerit. Humilia ergo me, vt sentiam quam imbecillis caro mea sit, & quam valde tua gratia atq; ope egeam, vt ad te confugiam supplex & humiliatus, & magnificem nomen tuum, qui solus sanctus es. Amen.

4. Afflictio Christianorum gignit resipiscentiam, & trahit ad Deum. Documento est filius prodigus, qui per afflictionem ad meliorem frugē rediit, dicens: Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Peccaui pater in caelum, & coram te, &c. Hoc animo antea non erat, cum indulgens genio

dif-

difflueret deliciis. Notum est illud
Davidis: *Priusquam humiliarer, ego de-*
liqui.

C A N O N.

Per crucem Christiani peccata sua
agnoscentes, ad pœnitentiã & emē-
dationem vitæ suscitantur. Non so-
lum enim peccata nō agnoscunt nec
lugent, si feliciter omnia ex voto flu-
unt, sed securi illis delectantur, &
mundi deliciis indormiunt; immore-
renturque, nisi Dei virga excitaren-
tur.

S V S P I R I V M.

Excita me, pater, ubi dormio, ut ex
mortuis surgam, & illuminet me Christus.
Absq; castigatione tua, o quam securus
indormio peccatis! Prohibe Deus, ne fiam
spurius neglectus, sed sim filius dilectus,
tibi patri spirituum subiectus, ut sancte
hic viuam, & postea beate. Videatur qui-
dem carni meae tua castigatio non gaudii,
sed tristitiæ esse; modo mihi per eam exer-
citato postea reddat fructum tranquillum

*iustitia, adeoq; tentatus accipiam coronam
vite. Amen.*

s. Cohibet crux animum a pravis concupiscentiis, & auellit a rebus terrenis, redditque per omnia cautum ac vigilantem. Vt enim pecora largius pasta, & diu nulli labori admota, ferociunt, recalcitrant: Sic nos incauti & securi viuentes contra Deum & eius verbum insolescimus; Multa perperam appetimus, multa impie committimus, si prospere agimus, nulloq; malo turbamur.

C A N O N.

Vt filii Dei, omnibus ad voluntatem eorum fluentibus, impinguantur, & incauti pravis cupiditatibus. frena laxant: ita pressi calamitatibus vela contrahunt, vim cupiditatibus inferunt, terrenis caducisque spretis celestia quærunt.

S V S P I R I V M.

Vt mactatae carni opus est sale, ne putrescat; ita lasciuia mea carni opus est mactatione, castigatione, & sale crucis, ne me

perdat,

perdat. Ego non auersor crucem, sed caro, quæ in me est, impatiens aduersitatis. Mi Deus, cor prauum tolle ex carne mea, & da mihi cor mundum tui reuerens. Coercendæ sunt cupiditates carnis meæ, da frena, quibus compescam, ut non secundum carnem uiuam & moriar, sed spiritu actiones mortificem, & spiritu uiuam ad laudem nominis tui. Amen.

6. Crux est inuocationis Dei incendium: Ut enim rebus tranquillis, vel nihil oramus, vel admodum frigide precamur: ita rebus afflictis excitatur in nobis spiritus & feruor orandi. Plane profecto insipida est eorum oratio, qui immunis ab omnibus omnino afflictionibus non orant vere, sed orare simulant.

CANON.

Afflictio est orationis Christianorum condimentum, quemadmodum fames cibi.

SUSPIRIUM.

Crux, quam immittis, igne precib. sub-

ministrat, ut ardentiores ad te Deum meum
 insurgant. In angustiis requirimus te, in
 tribulatione clamamus ad te anxie. Doce
 me Deus recte & feruide orare, crux tua
 sancta excitat orandi feruorem. Da ne ex-
 cutiam afflictionem, sed potius afflictus o-
 rem, orans a te exaudiar, exauditus cele-
 brem nomen tuum sanctum. Amen.

7. Per afflictionem non modo nos
 reddimur probati, sed & ipsa nobis
 cura Dei comprobatur, qua miris
 modis consolatur affictos. 2. Cor. 1.
 Benedictus Deus & pater Domini nostri
 Iesu Christi, pater miserationum, & Deus
 omnis consolationis, qui consolatur nos in
 omni tribulatione nostra. Item: Sicut ab-
 undant passiones Christi in nobis; ita & per
 Christum abundat consolatio nostra.

C A N O N.

Non modo fides Christianorum
 calamitatibus & persecutionibus pro-
 banda est, quo Dei gloria in illis illu-
 stretur, & proximus exemplo eorum
 emendetur: sed etiam prouida & pa-
 terna Dei patris cura per illas fit ipsis

pro-

probator & explorator; Ex qua sub
cruce hauriant efficacem consolatio
nem.

S Y S P I R I V M.

*Ne, Deus, sis expers calicis tui, & ba-
ptismi filii tui, ne meas ades omnis tua
cruce praterat: alioqui fides mea non erit
probata, & gloria tua, cruce mea, non fue-
rit exaltata. Qui possum paterni tui pe-
toris curam melius persentiscere, quam ex
auxilio & solatio in cruce mihi exhibitos?
Ah, pater, da mihi, ut rae & te penitus
cognoscam, tu me, & ego te amem, & nunq̄
sive in cruce, sive in luce diuellamur.*

8. Quotusquisq; fidelium præ aliis
affligitur & cruce tentationibusq; ex-
ercetur, hoc est ad consolandum alios
afflictos instructior & aptior. Ita enim
Deus solet per firmiores & probatio-
res consolari infirmiores. Apostolus
ubi dicit: *Deus consolatur nos in omni tri-
bulatione, addit: in hoc, ut possimus con-
solari, qui sunt in quavis afflictione, per
consolationem, qua consolatur nos ipsos
Deus.*

C A N O N.

Cruce probatus & consolatione restitutus Christianus, alios, qui adhuc sub crucis mole gemunt infirmi, eadem consolatione, ex caritatis commiseratione, erigere tenetur.

S V S P I R I V M.

In quacunque afflictione, Deus omnis consolationis, & pater miserationum, non meum animum erige & firma solatio, ut non ignarus calamitatis proximi mei, eidem consolationis tuæ nepenthes propinare queam. Misere mei, ut aliorum miserear miserorum. Iuva me suspirantem ad te, nec desere te invocantem, ut alios gementes iuare, nec me vocantes in angustia sua derelinquere queam. Præi Deus, & sequar. Tuum est dare, meum accipere, ut vicissim dem, in gloriam tuam. Amen.

9. Per miseriarum sensum nobis huius mundi tædium & fastidium conciliandum est, & anima desiderio cœlestis vitæ inflammanda. Cum enim Deum non lateat, quam cæco &

bel-

belluino amore Mundi ardeamus,
commoda crucis vtitur via, ad nos ab
eo retrahendum, ne nimis alte ei im-
mergamur.

C A N O N.

Quotidiana cruce vanitas mundi
& vitæ huius terrenæ Christiano in-
notescit, vt vitæ suæ cursum a mundo
reuocatum recta ad cœlestem pa-
triam flectat.

S V S P I R I V M.

*Animus meus, o Deus, fateor, (quid n.
negem omnia videnti?) saepe falso diuitia-
rum, honorum, & potentie splendore ex-
cœcatur: in scholam crucis, quæ schola est
lucis, vt collustretur, est, deducendus. Cor
meum per habendi cupiditatē & alios pra-
uos affectus aggravatur. In crucis fornace
hi sunt affectus expurgandi. Anima mea
quandoq; mundanarum voluptatum ille-
cebris, & carnis dulci sensu rapitur, capi-
tur; crucis vinculis expedienda & liberan-
da est, vt sursum tendat. Da Deus vt spre-
tis mundanis cœlestia quaram, inueniam,
possideam in Christo Iesu. Amen.*

10. Præmium legitime sublatae & superatae crucis animo est insculpendum, quod amplissimum & inæstimabile nobis in cœlo paratum & repositum est. Vult enim Deus, vt cum Christo in cœlis regnent, qui cum illo in tentationibus perseuerarunt.

C A N O N.

In cruce ferenda Christianus præmium suum gratiosum respicit, cœlestemque statum ac conditionem expendit, vbi omnia beata, firma, & æterna inuenit.

In cœlo enim fixum nostrum domicilium, & sempiternum municipium, atque vera patria est.

In cœlo thesauri nobis preparati & expositi sunt, quos neque fures eripere, neq; tineæ exedere, neque ærugo corrumpere possunt.

In cœlo ea voluptas, illud gaudium nobis constitutum est, quod nemo vlla ratione nobis eripiet, aut interturbabit.

In cœlo cœlestem panem cum A-

bra-

brahamo, Isaaco & Iacobo, in mensa Domini nostri Iesu Christi, comedemus, & nouum illud poculum lætitiæ bibemus, de quo in vltima cœna est locutus.

Et hæc omnia in cœlo, non solum animabus nostris percipiemus, sed etiam corporibus consequemur, quæ in hac vita, afflictiones & dolores perpetiuntur. Ea enim a mortuis resurgent, & ab omni infirmitate liberabuntur, quo cœlestis conditionis & vitæ capacia efficiantur. *de qua infra.*

PRECATIO.

Vanitas vanitatum & omnia vanitas in hoc immundo mundo. Omnis caro ut herba est, & omnis gloria eius, tanquam flos agri. Facies & omnis status huius mundi interit. Vapor est vita nostra mox euanescentes. Video hæc, Deus, & non ita agnosco, ut par est. Crux tua, me manu ducit, & spiritu duce, mihi altam vitam, aliam patriam restare ostendit. O Da, Deus, ut eo, relictis his terrestribus, assurgam, aspirem. Sustineo labores & dolores

huius vite parato animo, si modo mihi spes
 premii & emolumenti affulget. Pudeat me
 demerem, quod detrectem sapius miserias
 & afflictiones ferre, ratione alterius vite,
 cum tam amplum premium & tam præ-
 stans retributio mihi expectanda sit. Stra-
 uit & sanctificavit sua passione Christus
 mihi viam, sed carne mea, O Deus, carne
 mea toties impediior. Ah tolle hanc mole-
 stam sarcinam a me: Et mihi adueniat re-
 gnum tuum, fiat a me & in me voluntas
 tua, ne deduc me in tentationem, sed libe-
 ra me tandem a malo. Amen.

Quinto, Meditatio hæc patientiam
 sub cruce auget, quod nouit Christia-
 nus crucem piis esse honorificam.

Siquidem afflictionibus piorum
 gloria Dei illustratur, Dei omnipo-
 tentia, sapientia, & bonitas magis &
 magis in constantia piorum elucet.
~~Veritas~~ Euangelii sancitur ac piorum
 sanguine obfignatur. Mundus cœ-
 lesti doctrina tanquam salutari pluuiâ
 rigatus fit Christi ager, cuius Marty-
 res sunt agricolæ, & velut semen. Sa-

tanæ

tanæ & impiorum fraudes, odiumq; aduersus Christum & Ecclesiam detegit persecutio. Sub cruce fideles constituti potentiam & regnum tenebrarum oppugnant ac euertunt. Superna meditantur & ad Christum in cœlo ad dexteram patris sedentem fide euehuntur. Adeoque, *vt paulo ante dictum*, terrenis desideriis & studiis, ceu luto ac sordibus, alacri animo valedicunt: vt toti cogitationibus vacent cœlestibus, & cum Deo suo colloquantur.

C A N O N.

Gloria Christianorum est, non deficere in tribulationibus, stigmata Domini sui Iesu in corpore suo portare, & magnificari Christum in corpore eorum siue per vitam, siue per mortem.

S V S P I R I V M.

Beatum & glorificatum fore me spes est, o gloriose Deus; At beatum audio ex verbo tuo virum illum, qui suffert tentationem: quoniã cum probatus fuerit, acci-

piet coronam vite quam repromisisti diligenti-
 bus te. Da vires sufferendi tenta-
 tionem crucis, ut omnibus superatis malis,
 tandem te summum bonum apprehen-
 dam. Glorificabis me, Mundi probris af-
 fectum, maledictis confectum, persecutio-
 nibus interfectum. Da vires viam a Chri-
 sto filio tuo mihi monstratam ingrediendi
 & emetiendi, ne deficiam in afflictionibus,
 ut insignitus Christi mei stigmatibus gloria
 eius perfruar, spiritus tuus bonus ducat
 me, ut in nomine Christi te glorificem, &
 ipse Christus per vitam & mortem ma-
 gnificetur in corpore, ut ipse miser tandem
 aliquando beate mortuus, requiescam a la-
 boribus meis. Amen.

VI. Denique cogitet afflictus Chri-
 stianus promississe sibi Deum auxiliū,
 mitigationem crucis, præsentiam suā
 & liberationem. Phil. 1. Fidelis est Deus
~~qui non sinet vos tentari~~, supra quod po-
 testis, sed præstabit una cum tentatione e-
 uasionem. Psalm. 121. Non dormitabit,
 neq; dormiet qui custodit Israel. Psal. 91.
 Inuocabit me, ideo eum exaudiam, adero

ei in

ei in afflictione, eripiam eum, & gloriosum eum reddam. Ies. 43. Cum transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te: cum ambulaueris per ignem, non combureris: Et flamma non ardebit in te.

Quia ego Iehoua Deus tuus, sanctus Israelis seruator tuus. Cogitet, Christum secum afflictionum omnium esse sociū.

1. Pet. 4. Imo quod in eo consortes estis afflictionum Christi, gaudete: Ut cum patefiet eius gloria, gaudeatis exsultantes. 2.

Cor. 4. Quolibet mortificationem Domini Iesu in corpore circumferente, ut etiam vita illa Iesu, in corpore nostro mortali manifesta fiat. Cogitet angelos sibi & omnibus timentibus Deum adesse defensores, Psalm. 34. Angelus Domini castris circumcingit timentes eum.

2. Reg. 6. Ne metuito; nam plures sunt, qui nobiscum, quam qui cum illis sunt.

C A N O N.

CHRISTIANVS fretus in afflictione, Dei præsentis & auxiliãtis certa promissione, sancta communione, & societate crucis cum Christo Dei fi-

lio; & consolatione interiore sancti Spiritus; & presentium sanctorum angelorum tutela, suscipit alacriter & sustinet fortiter, quicquid ipsi a Deo fuerit impositum: itaq; vincit, triumphatq;.

SUSPIRIVM.

s. Jbr. Affligis me, sancte pater, filium: memor esto promissi tui. Verbum tuum tibi propono in afflictione: dixisti: Inuoca me, in tempore angustia, eripiam te, & glorificabis me. Inuoco te, requiro faciem tuam: Ne subduxeris eam a me, ne discesseris a me, festina ad auxiliandum mihi, & ereptus te laudabo. Domine Iesu, predestinatus sum, ut fierem conformis imagini tue, communitio mihi tecum est crucis, socium te mihi in afflictione prebe, fac ut te videam, & vertatur tristitia mea in gaudium. Vide me, ut videam te, & gaudeat cor meum, & gaudium illud nemo tollat a me. Consecratus es mihi Princeps salutis per afflictiones, adduc me filium in gloria tuam. Tuq; o sancte spiritus paracletus & aduocatus mihi sis in omni angustia &

per

persecutione, age causam meam, solare labentem animum, erige lapsum in via, subleua infirmitates meas, & fac ut glorier in oppressionib. & cum Christo hic mortuus, cum eodem viuam, hic tolerem, & in caelis cum eodem regnem. Amen.

MODVS CRUCEM ADVENTANTEM SAN- cte excipiendi.

Quod felix & fortunatum sit, & benevertat Dominus Iesus, ex decreto & voluntate patris mei caelestis noua me militem Iesu inuisit crux, noua me corripit tentatio. Salue sancta crux; Missa ad me caelitus venis: uti Domino meo placet, ita iam fit: Eius me totum subiicio voluntati. Quidni enim mala etiam de manu eius susciperem, qui me bonis multis ditauit? Non quidem de terra, sed de caelo delapsa mihi venit haec crux, quam certo consilio in mea salutem ad suam gloriam, benedictus in secula Deus, certa mensura, quam mihi

novit competere, est ad mensus. Calicem
itaque Domini, quem ipse mihi propinat, de
manu eius accipiam, & nomen Domini in-
vocabo. Hunc ipse Dei filius totum exhaus-
sit, eiusque partem designatam cuiusque fidelium
membrorum corporis sui degustanda pro-
pinavit. Ante me omnes sancti ex hoc bi-
berunt calice, Christusque, quantum datum
fuit, responderunt: Ego proinde sumtum
admouebo ori meo, & pro viribus insistam
vestigis Domini mei, licet vel illacryman-
tibus oculis hicce mihi exhalandus sit spi-
ritus.

Exspectata venis, crux o sanctissima
salve:

Sanctificata mihi es per crucem cruci-
fixi & resuscitati Iesu Christi, Domini
mei, qui ipse pro me pendens in cruce ani-
mam moriens exhalavit. Non equidem
nocitura venis, sed saluti meae nimium
quantum commodatura: plus, inquam
fers emolumentum, quam totius Mundi opes
& voluptates. Conformem me reddis ima-
gini servatoris mei Christi, ut postea glo-
rificandus prius hic cum ipso patiar; Prius

scili-

scilicet sum humiliandus, quam exaltandus. Per te mihi ingrediendum est in regnum caelorum.

Exsulta gaudio, Anima mea, Sponsa Christi, cuius sanguine es aspersa, mundata, potata: certo iam & indubitato symbolo filiorum Dei donaris. Beata es, quae hic luges & persecutionem pateris, misera nequam es, quod sufferas tentationes. Non odit te, & negligit ut spurium, sed amat & curat te ut filium fidelis pater: siquidem bibis e calice filii Dei unigeniti, insignia gestas decoris Christiani, virga paterna, animo patris, salutis tuae studiosissimi castigaris. Hic corripieris a Domino, ne cum mundo condemneris: hic cum Lazaro & rumnis & miseris afflictaris, ut post hanc vitam cum eodem caelestibus bonis abundans recreeris. Quare, queso te, tristis es anima mea, & quare perturbas me, quasi a Deo & omnibus hominibus abiecta & derelicta sis. Confide, ne utquam deserta es, pater & mater tua dereliquerunt te, Dominus autem assumpsit te. Tecum est ipse pater caelestis in omni tribulatione: si-

lius Dei Iesus Christus tibi adest, in medio tui est, imo in te manet: Spiritus sanctus in corde tuo habitat, te solatur, te corroborat, te regit, tibiq; ut paracletus tuus in omnib. necessitatibus adest: administratorii spiritus sancti angeli te circumquaq; muniunt, tuentur, custodiunt in omnibus viis, portant te manibus suis, ne pedem ad lapidem offendas. Patere, amabo te, vna patientia malorum remedio, eluctare, magna te manent premia, magna erit merces tua in caelis. Crux insuper tua non est diuturna, sed diurna est, sine sortitura optatum. Breui expedieris; e terra mortalium, e valle lacrymarum peruenies in regionem viuentium, in montem ascendes sanctitatis Dei, sempiternum habitatura in Dei tui caelesti tabernaculo, vbi terminus malorum omnium, ineffabilem vero bonorum myrias dabitur, vbi non lugebis tristis, sed leta triumphabis, non afflicta miseris, sed dominantis beata: non eiulabis querula, sed iubilabis libera, non morieris peritura, sed viues eternum duratura.

Si forte gloriae diuinae, & tuae salutis con-

ducit,

ducit, certo hac etiam in vita, exhausto
huius crucis labore, releuaberis & recrea-
beris: sed commenda Domino vias tuas,
deuolue curam tuam in ipsum, ipse Deus &
pater tuus est, non potest te abiicere. Cre-
dis enim Deum tuum esse omnipotentem,
proinde potest te liberare; Credis eundem
esse benignum & misericordem tibi paren-
tem; non potest igitur non velle tibi succur-
rere. Credis veracem, promissis itaq; sta-
bit, & fœderis sui memor, iuramento et-
iam confirmati, tãdem eripiet te ex omni-
bus malorum fluctibus. Medicus est tuus
malis omnibus mederi potis; ora, quere,
pulsata, clama; Et exaudita Deum tuum re-
demtorem celebrabis: Firma fide Deum pa-
trem, Christum tuum Iesum, spiritum S.
tuum consolatorem apprehende: Creden-
tibus omnia sunt possibilis. Nitere spe opti-
ma in mediis doloribus, spes illa non con-
fundet. Bono sis animo, in patientia
posside te ipsam, expecta Dominum, viri-
liter age, spera in eo, & expecta Domi-
num, veniens veniet, & non
tardabit.



C A P. XXIII.

*Christianus seipsum abnegās,
& suam tollens crucem, stu-
det Christum sequi &
imitari.*

IACTENVS de crucis to-
lerantia actum est: super-
est SEQVELA & IMI-
TATIO Christi, de qua
dicit: ET SEQUATUR ME.

*Sequela
Christi.*

Est autem SEQVELA & IMI-
TATIO Christi, qua Christianus fide
ducem & magistrum suum assecutus,
se ad exemplum illius totum compo-
nit, & vestigiis virtutum illius insistere
fatagit, vt perueniat tandem eo, vbi i-
pse est.

Cum enim dicit: *Sequatur me*; nihil
a nobis requirit, quam quod ipse fecit

& in

& in exemplum nobis comendauit. Vultq; in primis nos ad suam excitare obedientiam, & indicare nos inexcusabiles fore, si non congruenter huic regulæ viuamus. Quis enim seruus iure queri potest, si nihil aliud abs se requiritur, quod Dominus & Magister suus fecit? Aut quis miles causam habet recusandi id, quod ducem suum aggredi & facere videt?

Noster itaq; Magister & dux Iesus Christus, cum seipsum abnegauerit, cum suam crucem quotidie tulerit, cum obedientiæ erga Deum, & innocentiae, iustitiæ, humilitati, clementiæ, & caritati erga proximum studuerit, atque aliud nihil, quàm ea ipsa a nobis requirat, ut quæ ipse nostræ salutis causa fecerit, eadem & nos modo nostro præstemus: Equidem impudentissima audacia sit oportet, quisquis Christianus vult esse, interdum verò quæ Christo digna & eius regulæ congrua sunt, exsequi recusat aut intermittit.

CANON. I.

CHRISTIANO propositus est ad imitandum archetypus filius Dei Iesus Christus omnium virtutum perfecta idea.

2.

Non potest imitari diuinæ virtutis suæ opera, scilicet miracula, quibus se filium Dei mundo demonstraui. Imitatio enim in re possibili suscipi debet. Miracula vero ipsius exprimere, sine dono ipsius efficaciam singulari, est impossibile. Et Christus his miraculis se ab omnibus hominibus separauit, tanquam verum Messiam & filium Dei. Neq; vnquam præcepit, vt in his illum imitemur.

3.

Christianus sanctos Christianos quidem imitatur, sed non nisi quatenus illi Christum Iesum recte imitantur, hoc est, *quatenus ab archetypo non aberrant, sed ad eum nos reducunt.* Hinc Paulus, 1. Cor. 11. *Imitatores mei estote, vt ego Christi.*

SUSPIRIUM. I.

Domine Servator Iesu Christe, sis vita mea lex, lux & dux. Propositus es mihi a patre tuo archetypus, ut oculos in te defixos habeam. Te debeo dilectum patris filium audire & sequi, Da aures, ut audiam, da pedes, ut praeuntem sequar & assequar. Discipulus tuus sum, a te discere ardet animus, fac ut respiciam semper & ubiq; ad te fidei ducem & completorem Iesum. Amen.

SUSPIRIUM. 2.

Archetype & dux fidei & vita mea Iesu Christe, concede prudentiam imitandite, & sanctos tuos. Te quidem ut sequar, & exprimam, in quibus vis exprimi, & te possum sequi. Sanctos tuos, fac imiter, quatenus ipsi te imitantur, nec in illis nimium haream, sed oculos ad te attollam, & in illis tuum spiritum respiciam, ut non tam homines quam te magistrum Christum videar imitari. Amen.

Deinde quia Christus praecipit, ut

sequamur se, innuit simul se ducem & capitaneum nostrum fore, auxiliaturumq; nobis, vt consequi se possimus. Monstrat enim nobis viam salutis doctrina sua. Et cum ea, quandoq; nobis intricata & difficilis videatur, præit ac prælucet nobis exemplo vitæ suæ. Ac quos debilitas carnis in sequendo moratur, afflictiones fatigant & deterrēt, eos miti & fausta sua manu apprehendit, dulcibus consolationibus ad constanter sequendum inuitat & hortatur, nouis viribus instaurat, spiritu suo confirmat, & ex desperatis extremisq; angustiis educit. Fidelis n. ille Deus est, qui non patitur nos tentari magis, quam sufferre valemus.

C A N O N.

Christianus in hac imitatione fidum ducem Christum habet, non modo præeuntem, & viam sibi subsequenti monstrantem, sed si ita fert res & necessitas, manum etiam porrigentem, viam sternentem, & omnia quæ ipsi necessaria sunt, procuran-

tem,

tem, vt sequela Christi ipsi sit facilis.

S V S P I R I V M.

Christe Iesu, via es mea, dñ in te perstitero, non aberrabo: Veritas es, ideo a te seduci nō possum. Bon⁹ es pastor ille, qui ante oues suas vadit. Ne me ouem tuā eripi tibi patiare. Tu in via panis es vitæ; ne sine me te subsequenter famefcere, aut viribus deficere. Tu fons aquæ viuæ es; per te igitur in omni afflictionum & tentationum aestu potabor, reficiar, & sustentabor. Tu me vis tecum esse, ubi ipse fueris. Suggere, o Iesu; vires ad labores salebrososq; asperitates ubiq; superandas. Amen.



C A P. XXIV.

Christianus, vt sequatur & consequatur Christum, viam ingreditur salutis per fidem ad vitam.

SEQVITVR autem Christianus
ducem & Magistrum Christum

ingrediendo **VIAM SALVTIS** per fidem; Progrediendo per viam mandatorum, per sanctimoniam vitæ; ad metam vitæ & gloriæ cœlestis con-
tendendo.

Tria itaq; consideranda nobis sunt in hac Christi sequela ac imitatione:
Via fidei; Via sanctæ vitæ; Meta gloriæ & coronæ cœlestis.

A deoq; primum de via, dehinc de viæ meta ac termino. Viam fidei & vitæ Christianus, primum quærit & cognoscit, deinde quæsitam & cognitam tenet.

Quærit & cognoscit viam salutis Christianus summa diligentia. Neque enim satis est esse viam, in qua ambules, sed requiritur, vt sit vera & recta via. Nam via est etiam illa, quæ ducit ad perditionem, quam latam & spatiosam multi ambulant: verum illis, qui ad salutem aspirare cupiunt, non est vera via.

Cognoscitur autem via salutis, **PRIMUM** intellectu, quem con-

Via falsis quomodo cognoscantur.

sequi-

sequimur ex usu doctrinae cœlestis, legendo, audiendo, meditando, ut sciamus, quis sit Deus, quæ eius voluntas erga nos, quidque a nobis requirat. **S E C V N D O**, per viam spiritus sancti operationem, qua diuinitus instituimur. Hac sine intellectu cœcus est, eiusque actio inanis. **T E R T I O**, per experientiam, qua ipsis operibus in seipso quisque experitur viæ huius veritatem & bonitatem.

Cognitam viam tenet Christianus, **P R I M O** dum ardet desiderio viam inuentam eundi, & perueniendi per Christum ad patrem. Nihil alioqui prodest viam nobis datam esse, qua peruenire ad Deum & vitam liceat, si animus non ad Deum, sed ad Satanam & mundum magis propendeat. **S E C V N D O** dum agnitam & initam viam cum gratiarum actione ambulat. Nemo enim sola viæ notitia ad metam eius peruenit, nisi illam etiam ambulet. Ambulat

autem, dum fide cordis & studio pietatis, quotidie magis ac magis ad Deū tendit, & longius a seipso, Satana, mundo discedit. TERTIO, dum cauet, ne declinet vel ad dexteram, vel ad sinistram; ne item retrocedat, ne aliter sentientium multitudinem obseruet.

C A N O N. I.

Christianus sollicite viam salutis quærat, inueniat, obseruet, vt per Christum, qui est via & veritas, perueniat ad vitam & patrem.

2.

Christianus in tenenda via salutis, non hominum opiniones, sed Christi ducis sui mandata & voluntatem sancte obseruet.

3.

Ambulans viam salutis Christianus non diuiso sed vnito sit corde: ambulat constanter Christi viam, nec studeat partim se mundo, partim Christo approbare.

4.

Chri-

Christianus forte seductus vbi a via Christi abetrauit, det operam, vt ad eam deinde reuertatur, in eaq; ad finem vsq; perseueret.

S V S P I R I V M.

Vias tuas Domine, ostende mihi, & semitas tuas edoce me: vbi monstrasti, dirige me, Domine, in viis tuis. Scio enim, quod hominis non sit via eius, nec cuiusquam, vt eat, & gressus suos disponat. Ergo non tantum doce me viam statutorum tuorum, sed etiam deduc me in semita preceptorum tuorum. Non modo via scientiam requiro, sed reliquam etiam continua directionis gratiam peto. Ergo---

Duc me, nec sine me per me, Deus optime, duci:

Nam duce me pereo: Te duce saluus ero.

VIA FIDEI est via salutis, qua Christianus vnicum seruatorem, magistrum & ducem suum agnoscens & profitens, verbis (præceptionibus, inhibitionibus, promissionibus, & cōminationibus) eius fidem adhibens,

Via fidei.

eiq; humiliter obtemperans, in ipso solo acquiescit, in eo fiduciam suam collocat, spe fretus certa, futurum, vt non solum in hac præfenti, verum etiam in altera illa vita Christo capiti suo & duci conformis reddatur.

Cum enim Christus Dominus suo corpore non amplius visibiliter versetur in his terris, nos etiam non poterimus nostris illum sequi corporibus, sed fide & spiritu. Ipse enim est lux mundi, qui ipsum sequitur, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Dum itaque lucem habemus, credendum nobis est in lucem, vt filii lucis simus. Christus dux noster est, lux illa vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundum venit, in mundo erat, & mundus per ipsum factus est, sed mundus eum non cognouit. Ad suos venit, & sui eum non receperunt: quot quot autem ipsum receperunt, iis hanc dignitatem dedit, vt filii Dei fierent, nimirum, qui credunt in nomen eius.

Fides est, quo Christum sequi, imo assequi & apprehendere possumus. Fide Christi obedientia pro nobis præstita ad iustitiam nobis imputatur. Per fidem Christus habitat in cordibus nostris, ita ut nos ipsius spiritu acti, & noua creatura in ipso facti, ipsum salutis Principem per medias afflictiones imitemur; viuentes ad Dei gloriam, & proximi ædificationem, pie, iuste, sobrie, atque ita firma spe in Deo reposita, ad beatam illam immortalitatem contendamus.

C A N O N.

Secuturus & assecuturus Christianus Christum, fide saluificâ præditus sit necesse est, qua Christum ducem suum cognoscat, cognitum approbet, approbatum sequatur, assequatur, apprehendat, sibi applicet, & per ipsum in ipso contendat ad vitam.

S V S P I R I V M.

Non meum est eligere viam, Deus san-

ete, quæ tibi grata sit, & in qua tibi inser-
 uiam; Ea mihi est ineunda, quam tu elegi-
 sti. Electio tua est, non mea. Electam itaq;
 a te viam, Domine, fac, ut deligam & di-
 ligam. Ea autem in verbo tuo dicitur san-
 cta, bona, recta, immaculata & arcta. Ah,
 pater, fidei sanctæ lucem in spiritu tuo ac-
 cende, ut videam, & non in tenebris eam.
 Lux mundi filius tuus est, ipse radiis san-
 ctæ veritatis mentem meam collustret, ut
 secutus eum, viam vitæ ingrediatur & eme-
 tiatur. Fidei oculos da, ut videam; fidei ma-
 nus da, ut visum apprehendam; fidei pe-
 des da, ut ambulem, & sapiens, quæ sur-
 sum sunt, quæram & inueniam Christum
 Iesum ducem meum ad dexteram tuam se-
 dentem. Amen.

CANON.

Exemplar autem viuæ & efficacis
 fidei in Deū est Christiano ipse Chri-
 stus, fiduciam suam in ipso diuinæ iræ
 furore & in mediis vitæ periculis, in
 patrem suum collocans.

SUSPIRIUM.

Fili Dei, redemptor humani generis Iesu

Chri-

Christe, percussus iræ paternæ sensu acer-
bissimo, inferniq; doloribus propter me ex-
cruciatu, nihilominus amore, promissio-
ne, auxilio & beneplacito patris tui confi-
sus & acquiescens te ad patris suavissimam
gratiam fiducia filiali erexisti. Oro te per
fidem tuam, O Christe, des mihi fidem vi-
uificam in gratia & misericordia patris
tui & mei, per te mihi annuntiata & ap-
parata recumbentem, qua in omnibus pe-
riculis vitæ & mortis, imo in mediis infer-
ni angoribus, te salutis meæ anchoram,
principem, & vitæ meæ ducem ac magi-
strum apprehendam ac secter: Et in patris
tui amore ac gratia acquiescens, etiamsi
ipse occiderit me, non tamen in i-
psam sperare desinam.

Amen.



C A P. XXV.

*Christianus Christi imitator
viam quoque vitæ Christianæ,
exemplo Christi,
imit.*



VI A M fidei Christianæ continuo & extemplo excipit Via vitæ Christianæ ad imitationem archetypi Christi, qui est omnium virtutum idea perfectissima.

Fides enim, qua Christianus Christo suo est infusus, quaque Christus in corde Christiani habitat, non est mortua, sed efficax per opera caritatis, adeo ut iustificatus per Christum Christianus simul etiam sanctificetur, & tanquam bona arbor, bonos fructus proferat.

Fide-

Fidelis itaque Christianus cogitat, sanctum esse Deum, & se illius esse seruum; ideoque se Dei esse, se Deo viuere & mori debere.

Proinde cum sui non sit iuris, nec rationem, nec voluntatem suam in consiliis suis & factis dominari non patitur, sed seipsum, ac sua omnia postponit, & ad Deum, tanquam solum & legitimum finem omnibus vitæ suæ partibus contendit, vt illius voluntatem sequatur.

Adeoque proponit sibi Christum, per quem in gratiam cum Deo patre redit, exemplar, eius vt formam in vita sua exprimat.

CANON.

Christianus viua fide Christum apprehendens & assecutus, omnē vitæ suæ conuersationē, ad exemplū illius componit. Scit enim Christum magistrum suum dixisse: *Exemplum præbui vobis, vt sicut ego feci, ita & vos faciatis.* Nouit Christum passum pro nobis, exemplar nobis reliquisse, vt insi-

steremus vestigiis ipsius, *vti docet S. Petrus.*

SUSPIRIUM,

Viue Deus, viuam in me forma, firma, conserua fidem, qua per opera caritatis sit operosa, & vitam meam conformem sibi reddat. Patrem te mihi exhibuisti, ingratus sum, nisi me vicissim tibi prestem filiū obediendo. Filius tuus seruator meus me sanguine suo acquisiuit, purificauit sanguinis sui lauacro. Ideam se exhibuit vitæ sanctæ; impurus sum, nouis si me sordibus coinquino: Idem me corpori suo ceu membrum inseruit, da vt ne labem mihi impuritatis aspergam. Spiritus sanctus me templum Deo tibi dedicauit, fac per eum in me habitantem, vt viuat in me Christus, & tua gloria per me illustretur. Amen.

Spectat autem Christianus, ad Christi vitam suam efformatur⁹, tum Deum, tum proximum, tum seipsum.

1. Deum vbi spectat, videt sibi sancte ad exemplum Christi viuendum: quia sic fert Dei voluntas & mandatum.

Quia

Quia id requirit conformitas, quæ esse debet inter patrem nostrum cælestem, & nos eius filios.

Quia Sumus ideo per Christum redempti a peccatis, ut in posterum seruiamus iustitiæ.

Quia spiritus sanctus ideo nos rege-
nuit & sanctificat, ut abiectis peccatis no-
uum hominem induamus, & sectemur iu-
sticiam & sanctitatem.

Quia glorificandus est per bona opera
Deus, tanquam auctor, approbator &
compensator boni.

Quia imitari debemus Deum, ut si-
mus sancti, sicut ipse sanctus est.

Quia ornanda est doctrina seruatoris
nostri in omnibus, ut digne Deo & Euan-
gelio Iesu Christi ambulemus.

II. Proximum suum ubi considerat,
deprehendit vitæ sanctæ, ad exem-
plum Christi, officii, proximum iu-
uandum & subleuandum esse, ad eoq;
si necessitas postulat, animam quan-
doq; pro fratribus ponendam.

Videt bonis exemplis proximum

esse ædificandum & ad pietatem inuitandum.

Agnoscit vitanda esse scandala, & benefaciendo esse pudefaciēdos improbos calumniatores, iisque os obturandum.

III. Seipsum vbi spectat, videt sibi sanctimoniam vitæ Christi esse imitandam; quod *regentus iam sit nova creatura in Christo, unde vitæ nouæ ipsi sit studendum.*

Quod ereptus e tenebris huius mundi, translatus sit in lucem, ut viuat, sicut decet filium lucis.

Quod exercendo se bonis operibus testetur, se vere esse iustificatum, adeoque firmam faciat suam vocationem.

Quod eo ipso ostendat ingens esse discrimen inter viuam & mortuam fidem, ne seipsum & alios falsa persuasionem decipiat.

Quod vitæ sanctimonia vitet pœnas diuinas, temporales & æternas.

Quod videat, sibi non esse conscientiam vulnerandam, gratia Dei excidendum,

dum,

dum, spiritum sanctum non contristandum.

Quod studendum sit premiis a Deo ex mera gratia promissis, corporalibus & spiritualibus in hac & aeterna vita.

SUSPIRIUM.

Domine Iesu Christe Archetype vite meae, & via salutis, iis factus es auctor salutis, qui tibi auscultant, qui ambulant, sicut tu ambulasti. Munda me sanguine tuo, vivifica & sanctifica me spiritu tuo, ut propter Deum, proximum & memetipsum, tuis insistens vestigiis tuas observem, ac affecter virtutes, carnem meam cum affectibus & concupiscentiis crucifigam, Deum & proximum meum ex animo diligam, adeoque tu tu Iesu in me solus cum spiritu tuo vivas, simque ex iis, quibus parata est aeterna felicitas, non vero ex iis, qui quidem multum Christo gloriatur sed interim in morte & damnatione sempiterna manent. Iuva & rege me Iesu.

Amen.



C A P. XXVI.

Christianus vitæ colens innocentiam, ad Christi exemplum, Deum glorificando, orando, obediendo, & se humiliando pie se erga Deum gerit.



Mnis Christi actio est nostra institutio, *ait Basilus.* Tota Christi vita fuit morum disciplina, *ait Augustinus.* Ideoq; hac in parte vniuersa vita Christi perlustranda & perpendenda esset, & omnia quæ dixit, fecit, & passus est, euoluenda. At delectum habebimus contenti maxime necessariis, quibus quodammodo vita nostra ad exemplum Christi informari debet.

Ea

Ea autem duorum erunt generum:
Generaliora & Specialiora.

GENERALIORA, in quibus imitanda Christi vita est, sunt sanctæ virtutes, quibus se Christus pius erga Deum, & probus erga homines gessit.

Et quidem utroque purissimam vitæ innocentiam tutatus est.

CHRISTVS enim vitam egit innocentissimã: Nihil falsi, nihilq; fraudulentum vnquam in ore eius inuentum est, *ut Propheta testatur*, & ipse in medio acerrimorum suorum hostium; *Ecquis vestrum, inquit, me arguet de peccato? ac cum hi etiam calumnias & falsa crimina ei intendere conarentur, nihil quod vel speciem culpæ & criminis præ se ferret excogitare poterant.*

C A N O N .

Christianum Christum secuturum decet innocentia vitæ suæ strenuam dare operam: Et licet hic perfectus, ac ex omni parte innocens coram Deo esse non possit; Ita tamen coram ho-

minibus viuendum est, vt criminis suspicione careat, culpa vacet; vt si illi ipsum odio infectantur, id non culpa ipsius, sed tantum Christi causa fiat.

SUSPIRIUM.

Præstare me innocentem tibi, iustissime Deus, non possum; ne igitur intra iudicium cum seruo tuo. Respice me misericorditer in filio tuo innocentissimo, & da mihi spiritum me totum sanctificantem, quo fiam innocens manibus, & mundo corde, vt accipiam benedictionem a te Domino meo, & misericordiam a te Deo salutari meo. Da veram innocentiam, integritatem dico sine peccato, & flagellum sine merito, da, vt nec mihi, nec aliis vnquam noceam, & triumphum innocentie, qui est, non peccare, ducam cum gaudio conscientie. Amen.

Pium erga Deum se exhibuit Christus dux & lux Christianorum, Deum glorificando, Deum orando, Deo sancte ac constanter obediendo, & erga eum se humiliando.

I. GLORIFICAVIT Deum patrem

trem

trem filius, omnia sua ad gloriam eius referendo. Vnde Ioannis 7. dicit de se: *Qui querit gloriam eius, qui misit se, hic verax est, & iniustitia in illo non est.* Ioan. 8. *Ego non quero gloriam meam, est qui querat & iudicet.* Ioan. 17. *Ego te glorificavi, in terra opus cōsummaui, quod dedisti mihi.*

C A N O N.

Omnis Christianus in omnib. rebus propositum diuinæ gloriæ ad exemplum Christi habere debet: in omnibus actionibus Dei querat gloriam, vt quicquid. moliatur, cogitet, agat, id omne spiret Dei gloriam. *Omnia, inquit Apostolus, ad gloriam Dei fasite.*

S V S P I R I V M.

Omnia propter te ipsum, Domine omnipotens, operatus es, me quoq; fecisti, ideoq; ad gloriã tuam, vt te queram, inueniam, celebrem. Sanctificetur igitur per me in omni vita mea nomen tuum: Omnis actio mea nomen sanctificationis tue laudet. Quicquid meum est, id a te sit, per te

sit, in te sit, ut ipse a te factus, per te subsi-
stam, in te maneam, ad te redeam. Amen.

II. ORAVIT Christus Deum pa-
trem suum assidue & ardentem. Ora-
bat enim Dominus ante concionem,
siquidem cum dixisset Marcus, eum
abiisse in desertum locum, ibiq; orasse, fa-
cit illum loquentem: *Eamus in proxi-
mos vicos, ut & ibi predicem.* Ut oraret
autem, secedebat a turbis, intermisso
prædicationis officio. *Marc. 6.* Et cum
dimisisset eos, abiit in montem ora-
tum. Surgebat etiam tempestive, ut
oraret: Et diluculo valde surgens e-
gressus, abiit in desertum locum, ibiq;
orabat. Longo temporis spatio, & so-
lus, & in desertis locis orabat. *Marc. 1.*
Luc. 6. Luc. 5. Exiit in montem orare,
& erat pernoctans in oratione Dei.
Secedebat in desertum locum, & cum
solus esset, orabat. Ascendit in mon-
tem, ut oraret. Orabat item, ante-
quam cõstitueret aliquid magni mo-
menti. *Luc. 9.* Cum enim per noctas-
set in oratione Dei, vocavit discipu-

los

los suos, & elegit duodecim. Orabat pro discipulis & Ecclesia vniuersa. *Ioannis 17.* Non pro eis rogo tantum, sed & pro iis, qui credituri sunt, per verbum eorum in me. Orabat ad patris voluntatem in passionis exordio; Veruntamen *non mea voluntas, sed tua fiat.* Orabat cum lacrymis & clamore, *Heb. 9.* Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesq; ad eum, qui posset illum seruare a morte, cum clamore valido & lacrymis offerens exauditus est. Orabat subleuatis in coelum oculis, *Ioan. 16.* Et subleuatis in coelum oculis dicebat: *Pater venit hora, clarifica filium tuum.* Orabat prostratus in terram, *Marc. 14.* Procidit in terram, & orabat. Orabat in cruce iam moriturus: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.*

C A N O N.

Christianus legens Christi magistri vestigia per spiritum sanctum, fiducia Christi seruatoris & aduocati sui, impulsus Dei mandato & suauissimis

Q

promissionibus, metuq; pœnæ, efficacitate precum, & propria necessitate assidue & deuote Deum inuocet.

SUSPIRIVM.

Nos quid precemur, o Deus, ut oportet, non nouimus, effunde spiritum precū & gratiæ super me, ut inuocans nomen tuum seruet. Non possum Iesum dicere Dominum, nisi per spiritum. Spiritus itaq; tuus pectus meum occupet, ardentemque precum ignem illi iniiciat, cuius flamma ad tua sancta habitacula subsiliant. Spiritus tuus interpellet pro me suspiriis inenarrabilibus. Mitte, o pater, spiritum filii tui in cor meum, clamantem Abba, id est, pater. Et dilatabo os meum, & faciem tuam inquiram assidue, omniaq; faciam in nomine tuo, semper oraturus non segnescam. Amen.

III. OBEDIENTIÆ perfectissimæ exemplar elucescit in Christo. Ipse enim (inquit Paulus Phil. 2.) se submisit, factus obediens patri usque ad mortem, mortem autem crucis.

Et quanquam angore animi acu-

tissi-

cutissimo pungebatur, & tam difficile humanæ naturæ certamen, imminente mortis suæ hora sentiebat, vt sudore sanguineo præ necis terrore diffluerit: tamen sine vlllo excusationis aut inuiti animi signo totum se patris voluntati dedidit, & *non mea*, ait, *voluntas, sed tua fiat. Veni*, inquit *alibi, non vt meam, sed voluntatem eius facerem, qui misit me. Opus*, inquit, *quod dedisti mihi, consummaui, &c.*

C A N O N.

Christianus Christi (*qui*, vt ait Bernhardus, *ne obedientiam perderet, perdidit vitam*) exemplum sequens, suam voluntatem non modo posthabet, sed propter Deum contemnit, Deoque litat, vt totus Deo subiectus, eius voluntatem faciat, & ab obedientia Deo præstanda, nullo discrimine aut afflictione abduci se patitur.

Propriam itaque voluntatem Dei voluntati subiicit. Per obedientiam, propria voluntas mactatur, ait Greg.

Per obedientiam sibi viam ad omnes virtutes sternit.

Animose & fortiter se gerit obedientiam continuans, vt multas & magnas sibi obiectas difficultates superet: Et in primis vincat affectus, qui quasi arma capiunt contra mandatum, frangat vim suæ voluntatis, libertatem alteri obligando.

Dat operam, quantam potest, vt pareat Deo libenter, simpliciter, hilariter, velociter, viriliter, humiliter, & indefinenter, vt loquitur Bernh.

SUSPIRIVM.

Flecte, o Deus, frange, o Domine, propriam in me voluntatem, vt obediendo totum me tibi litem & offeram, vt mandatum tuum non procrastinem, sed parem aures auditui, linguam voci, manus operi, pedes itineri, & sic me totum intra me colligam, vt tuum imperantis mandatum exsequar.

Da igitur vires, quibus instructus possim intelligentiam meam obedientiæ fidei subicere; Carni emortuus terrestria mem-

bra

bra enecare, ne regnent; sim Mundo & Principi eius Satanae crucifixus, & illi mihi: Omnibusq; tyrannis & carnificibus dicam constanter: Oportet Deo magis obedire, quam hominibus. Sed, o Deus, firma fide & imperterrita constantia muni hoc petus tibi deuotum. Amen.

IV. HVMILITATIS admirandæ exemplo nobis præiuit: etsi enim esset in forma Dei, non tamen duxit rapinam parem esse Deo, sed ipse se exinaniuit, forma serui accepta, similis hominibus factus, & habitu comper tus vt homo, ipse se submisit seu humiliavit, factus obediens vsq; ad mortem, &c. Imo ad inseruiendum nobis miseris venit in hunc mundum, & adeo submisit se gessit, vt etiam pedes suorum discipulorum lauerit.

CANON.

Christianus sæpe sæpius intueri debet in humilitatis omnibus numeris absolutissimæ speculum, Iesum Christum, qui dicit: *Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde.* Hic, (vt Augusti.

nus ait) *Doctor humilitatis primus docuit humilitatem; Unde humilitas pene tota disciplina Christiana est. Ipse præcipit humilitatem discipulis suis Ioannis 13. Intelligitis, quid fecerim vobis? Vos vocatis me Magistrum & Dominum, & recte dicitis; Sum enim. Si ergo ego laui pedes vestros Dominus & Magister; vos quoque debetis inuicem alii aliorum lauare pedes. Exemplum enim præbui vobis, ut sicut ego feci vobis, ita & vos faciatis. Amen, Amen dico vobis: Seruus non est maior Domino suo, neq; legatus maior eo, qui ablegauit ipsum. Si hæc noueritis, beati eritis, si feceritis ea.*

SUSPIRIUM.

O Iesu Magister humilitatis, tolle a me, quicquid in me altum tumet & inflat, & da mihi thesaurum omnium virtutum humilitatem, ut propriam conditionem, meique conditoris maiestatem intuens, humiliem me sub potenti manu Dei mei, qui superbis resistit, & humilibus dat gratiam. Fac me, Christe, Christianum, cui

non

non pudori sit aliis Christianis inscruire,
nec eos minores & inferiores aestimem,
quos tu sanguine tuo redemisti. Pudeat
autem me elationis & superbia, pudeat
me inhumani contemptus, quo iam Mun-
dus te Christum in tuis membris spernit.
Humilia respicis in caelo & terra, fac, tibi
ut gratum sacrificium offeram, spiritum
dico contribulatum, & cor contritum &
humiliatum, ut tecum postea exalter.
Amen.



C A P. XXVII.

Christianus insistens Christi
vestigis se erga proximos
suos, caritate, beneficentia,
patientia, mansuetudine
& iustitia probe
gerit.

DROBVM se exhibuit
Christus erga nos homi-
nes *caritate, beneficentia,*
mansuetudine & iustitia.

I. Perfectissimæ CARITATIS
exemplum in Christo cernitur, qua
plenitudo legis diuinę & omnium vir-
tutum ad communem vitam agen-
dam pertinentium, continetur. Vt e-
nim ipse ait: *Nemo maiorem caritatem*
habet, quam qui animã pro altero tradit.
Cum vero ipse hoc fecerit, & maxi-
mopere desiderarit nos sua redimere
morte, fatendum ipsum absolutissi-
mo nos amore complexum esse. Imo
ipse suos dilexit vsq; ad finem.

CANON.

Mutua & sincera caritas Nota ve-
rorum Christianorum genuina est.
Amant hi se mutuo sine furo, sine si-
mulatione, & dolo: nec verbis tantũ
blandis, & familiari sermone se inui-
cem colunt, sed vt lingua animo con-
sonet, & re dicta præstent, student.
Ita enim Magister caritatis, Iohan. 13.

Man-

Mandatum novum do vobis, ut alii alios diligatis, sicut dilexi vos. Ex hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei sitis, si caritatem habueritis alii in alios. Christus autem non simulate & fucate, sed vere & ex animo nos dilexit; nec parum & obiter, sed ardentissime nos amavit; nec verbis, sed re ipsa amorē suum est testatus. 1. Ioannis 3. Discipulus caritatis ait: Filioli mei, ne diligamus verbo atq; lingua solum, sed opere & veritate, &c.

S V S P I R I V M.

Iesu praeceptor caritatis, Tui sectatores videri omnes volumus: ast alget nimio opere caritas illa, quam tuis commendasti. Ah quot sunt aera senantia, & cymbala tinnientia, caritatem non habentia! Accende in frigidis pectoribus per spiritum tuum, ignem amoris sancti, ut te principaliter amem, & propter te ipsum in te ea, qua diligenda sunt, tantum, quantum, ipse praecepisti, diligam, nempe proximum meum sicut me ipsum, ut non queram, quae mea sunt, sed quae tua & proximi sunt, ut

*sim patiens & benignus, non emuler, non
agam perperam, non ambitiosus infler,
non irriter, non cogitem malum, non gau-
deam malo proximi, sed omnia sufferam,
credam, sperem, sustineam ad edificatio-
nem. Amen.*

II. BENEFICENTIÆ exemplo
nobis præluxit beneficus Christus. O-
mnia n. attestante ipso populo, bene-
fecit, imo omnib. benefecit. Sanauit
omnē languorē & infirmitatē in po-
pulo. Eiiciebat spirit⁹ verbo, & omnes
male habentes curauit. Circūibat, &
benefecit omnib. sermone & opere.
Hostib. etiam benefecit suis. Corpori
sanitatē restituit, animæ salutē pepe-
rit, esurientes & sitientes cibauit & po-
tauit. Quis beneficia eius enumeret?

C A N O N.

Caritatis, misericordiæ, & beneuo-
lentia internæ veritatem externa be-
neficentiæ & liberalitatis actione te-
stetur Christian⁹, benefaciatq; omni-
bus, maxime vero domesticis fidei.
Beneficentiæ & communionis nolite

obli-

obliuisci; talibus enim hostiis placatur Deus. *Date*, inquit Christus, & *dabitur vobis*. Beatius est dare, quam accipere.

S V S P I R I V M.

Benefice Iesu seruator Mundi, misertus es mei, fac ut vere sim misericors, sicut pater noster est misericors, & sim filius patris mei caelestis, qui sinit solem suum oriri super bonos & malos. Multis modis malo mihi benefecisti, qui pertransisti benefaciendo, fac ut ipse etiam beneficiam pro viribus, omnibus Christianis, corporis tui membris, imo inimicis etiam meis beneficiam. Plurima in me dona spiritualia & corporalia contulisti, caelesti benedictione me ditasti, da ut ipse in alios liberalis de omnibus bene mereri studeam, adeoque thesaurizem mihi non in terra, sed in caelo thesauros. Amen.

III. Christus suis summæ PATIENTIÆ & MANSVETVDINIS, præbet exemplum. Etsi enim inimicos suos semper e vestigio grauiissime vlcisci poterat, idque maxime eo pro-

bauit, quod verbo vno omnes in terram prostrauerit: tamen a deo fuit patiens & mansuetus, vt ne verbo quidem eos læserit, & præterea non paruis beneficiis affecerit. Nam & Pontificis maximi seruum a Petro fauciatum sanauit, & patrem suum pro crucifigentibus se inuocauit. Patitur se fieri mortalem, diebus quadraginta ieiunat, esurit, cum Diabolo tentante concreditur, discipulis non vt seruus præfuit, Iudam potuit longa patientia sustinere. Et quis enumeret omnia, quæ mansuetus tolerarit Christus?

C A N O N.

Omnis Christianus æquo animo ferenda mala tolerat, ne animo iniquo bona deserat, per quæ ad meliora peruenit: moderandoq; iræ impetum mansuetus est in omnes, audiens mansuetudinis Magistrum: *Discite a me, quia mitis sum.*

S V S P I R I V M.

Patientissime Domine Iesu, Præceptor

mitis

Domine
Magister
scilicet

mitis mansuetudinis, qui passus es pro me, relinquens mihi exemplum, ut sequerer vestigia tua, qui cum peccatum non fecisses, nec inuentus esset dolus in ore tuo, cum probris afficereris, non regerebas probra, cum patereris, non comminabaris, causam vero commendabas ei, qui iuste iudicat, da mihi spiritum patientia, & mansuetudinis, ut omnia sufferam & sustineam animo equo, tuum exemplum secutus, onera & nauos proximorum meorum tolerem, ira nunquam excandescam, sed ut mitis & patiens erga omnes, pro inimicis & persequentibus me orem, & maledicentibus mihi bene precer, ut inueniar filius patris caelestis, tuusq; re ipsa discipulus agnoscar. Amen.

IV. Deniq; CIVILIS IUSTITIAE obseruationem nobis in exemplum proposuit Praeceptor Christus. Rem enim alienam nunquam appetiit, sibi vendicauit, aut retinuit. Magistratui, cui tanquam verus homo subditus erat, omnia semper reddidit, quae ei debebat. Didrachma & pro se & pro

Petro pependit. Ac de vectigali interrogatus: *Date, inquit, Casari, quæ Casaris sunt, & Deo, quæ Dei sunt.* Cumque eum multitudo voluisset summo consensu & studio regem creare, dif- fugit ipse, ac postea coram Romano præside protestatus est regnum suum non de hoc mundo esse, proindeque a se nulli magistratui esse metuen- dum.

C A N O N.

Omnis Christianus est iustitiæ ob- servantissimus, nemini faciens in- iuriam, vnicuique suum animo, ver- bo, gestu & opere tribuere sata- git.

Paulus Roman. 13. *Omnis, inquit, anima potestatibus supereminentibus sub- dita sit. Non enim est potestas, nisi a Deo. Ergo qui resistit potestati, Dei or- dinationi resistit: Qui vero restiterint, iudicium sibi accersent. Et postea: Red- dite ergo omnibus, quod debetur; cui tri- butum, tributum: cui vectigal, vectigal:*

cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.

S V S P I R I V M.

Rege me spiritu tuo, Magister iustitia Iesu Christe, ut suum cuique sicut decet, tribuam, nemini suum denegem, subditus sim magistratui, divinae & humanae ordinationi propter Dominum, honorem honorandos, imo honore etiam pares praeveniā, diligam fraternitatem, Deum timeam, sim iustus in operibus, in verbis, in literis, in contractibus. Adeoque tibi paream, studeam conseruationi societatis humanae, exerceam officia dilectionis, commonefactus de equitate & iustitia Dei mei, cui me meaq; omnia commendo propter te tuumq; meritum custodienda. Amen.



C A P. XXVIII.

*Christianus prænam Christi
facem sensu, habitu & motu
suo, qua fas & potus est,
sequitur.*



GENERALIORA quædam in virtutibus erga Deum & homines fuerunt: *Specialiora* sequuntur Christiano imitanda, in *Sensu, Habitu, & Motu Christi Magistri.*

SENSVM præcipue hic obseruamus, *Visus & Auditus*, quibus subiicimus *Sermocinationem.*

I. VISVS. Vidit Christus duos fratres, Simeonem & Andream. Vidit alios duos fratres. Vidit hominem sedentem in telonio. Hos homines videns, vocat, vt sequantur se: Et relictis omnibus secuti sunt eum. Vidit igitur

non

non curiose, non frustra, non sine certo consilio. En humanitatem, caritatem, animarum zelum. Luc. 22. Et conuersus Dominus respexit Petrum; Et recordatus est Petrus verbi Domini, & egressus foras, amare fleuit. Vno oculorum coniectu, quasi acutissimo amoris telo cor Petri penetrat, & in lacrymas conuertit. Ioan. 11. *Vt vidit Mariam plorantem, lacrymatus est. Item: Videns ciuitatem fleuit super eam.* En commiserationis lacrymas, singularis amoris indicium. Vidit etiam sæpe homines opis suæ indigentes: Præteriens vidit hominem cæcum. Vidit turbas fame laborantes, vt subueniret. Vidit cogitationes hominum, quia spirituum ponderator Dominus.

C A N O N.

Magna diligentia suos custodit oculos Christianus, eosq; ad Christi exemplum, in vsum virtutum Christianarum conuertit, auertendo eos a Mundi huius vanitate.

R

SUSPIRIVM.

Da mihi, Deus, hanc gratiam, ut possim cum oculis meis fœdus pacisci, eosque tantum ad usum pietatis & probitatis sancta cum castitate transferre, ut sic videam, & sic oculis meis hic utar, ut, quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, neq; in cor hominis ascendit, contemplari in cœlis illi possint. Amen.

2. A U D I T V S. Audit Christus in templo, & interrogat, & mirantur eius prudentiam. Luc. 2. Cum audiret, quod Ioannes traditus esset, secessit in Galileam. Mat. 4. Audiens Iesus verba centurionis miratus est. Mat. 8. Ego sicut audio, iudico. Ioannis 5. Cum audit accusationes aliorum, propensum se ad lenitatem, & ad ignoscendum demonstrat. Ioannis 8. Mat. 12. Luc. 9. Cum audit Herodem miscuisse sanguinem quorundam cum sacrificiis eorum, minitatur similem pœnam omnibus, nisi egerint pœnitentiam. Luc. 13.

C A N O N.

Chri-

Christianus, auditus sanctitatem sibi comparat usu aurium sancto, dum eas auertit a malis, & conuertit ad bona haurienda, iisque utitur pie & prudenter, ad Dei gloriam & proximi commodum.

S V S P I R I V M.

Circumcide mihi, sancte pater, aures meas, ut pie, ad modum Magistri mei Christi, iis uti possim, ne per ea, qua penetrant aures, interiora cordis mei commaculentur, ubique igitur aures meas, ut spinis, sancto tuo timore communias oro.

III. S E R M O C I N A T I O. Sermo & verbum Christi semper, maxime verax existit, ut de mendacio nunquam iuste reprehendi potuerit. Ideo ait, Ioan. 8. *veritatem dico vobis*. In verbis Domini, singularis fuit mansuetudo, & humilitas. *Ioannis 8. & Marc. 5.* Sincera simplicitas, *Ioan. 8.* Clementia. *Ioannis 5.* Caritatis ingens incendium. *Ioan. 17.* Prudentia admirabilis, *Mat. 22. & Ioan. 8.* O quanta gratia, quan-

ta grauitas, quanta interdum vehementia zeli, &c.

CANON.

Christianus sermonem suum semper destinat gloriae Dei, & aedificationi proximorum suorum, Deum glorificando, & cum proximo bona & utilia communicando, sermonisq; vocem rebus prudenter accommo- dando.

SUSPIRIUM.

Circumcide, Deus, os & linguam meam, ut fugiam supinam sermonis negligentiam, & periculosam verborum meorum incuriam. Os meum in tui laudem, atq; animi significationem, & corporis mei nutritionem condidisti: da ut illud sic custodiam, ut nihil illac intret aut exeat, quam quod tuae divinae placitum est voluntati, adeoque custodiam animam meam. Amen.

HABITUM dico hic DISCUBITUM & SESSIONEM Christi.

I. Discubuit in nuptiis. Venit ad nuptias, qui cum apud patrem esset

insti-

instituit nuptias; Et quidem ad pauperum nuptias, in quibus ipse defuturum vinum non ignorabat.

Discubuit in conuiujs Phariseorum & peccatorum: *Conuescens enim, ait Chrysoft. emendabat male dispositos. Conuiuia factus languentium, passus fœtorem medicus, vt præster remedia. Peccatricem item mulierem super mensam ad pedum oscula admisit, & postea ad capillorum vnctionem, vt pœniti remitteret debitum. Inter cœnandum igitur conuertit peccatores, & suis hospitibus recte viuendi præcepta tradidit.*

2. Sedet Christus, vt sedens facilius inueniatur a turbis, illisq; præsto esset. Mat. 13. *Exiens e domo sedebat secus mare, & congregatae sunt ad eum turbae multae. Sedet igitur, vt doceat vel publice. Mat. 26. Quotidie apud vos sedebam docens in templo, vel priuatim. Marc. 9. Et residens vocauit discipulos, & ait illis, &c. Mat. 5. Sedens Iesus contra Gazophylacium, aspiciebat, quomodo turba iactabat*

as, &c. Mat. 15. *Ascendens in montem sedebat ibi. Sedit item super asino.*

CANON.

Christianus discumbendo, vescendo, colloquendo, sessitādo, hoc quaerit vnice, vt gloriam Dei propaget, doctrinam veritatis prouehat, salutē suorum proximorum promoueat.

SUSPIRIUM.

Rege, Deus, discubitum & sessionem meam, vt utrobiq; pietatis & caritatis memor spirem gloriam nominis tui. Duc & doce me, & vitam mihi concede tantam, vt cuitatis omnibus, quæ consilio, exemplo & consortio nocere possent; per viam rectam, quam mihi suo exemplo monstrauit filius tuus, ad caelestem patriam perueniam. Amen.

MOTVM dico LOCALEM, nempe progressionem, qua Christus iter fecit. Religionis exemplum vt det, iter facit ad templum Dei. Nec vnquam legitur ascendisse Hierosolymam, quin simul ad templum ascen-

derit,

derit, vt qui cum sequuntur, non ingrediantur ciuitates, nisi Dei gloriæ causa. Elegerat autem Dominus Hierusalem, tanquam suæ passionis & mortis theatrum. Inter eundem vero de rebus cœlestibus cum discipulis sermonem habebat. Dominus desiderio diuinæ gloriæ & publicandi Euangelii, benefaciendiq; omni hominū generi, adeo tenebatur, vt omnes illas regiones pedes peragraret, ciuitates, vicos, castella perlustraret, vt æterni patris nomen peruulgaret, & hominibus vtilitatem corporis & animæ afferret. Quare legimus illum sæpe conscendisse montes, descendisse in campestria, per fata & loca deserta, iter direxisse, flumina, lacus, maria, transmisisse, percurrisse maris littora, prouincias, gentium oppida, domos priuatas penetrasse, ipsas porticus Nosocomiorum & tēpli, vt pertransiret benefaciendo & sanando omnes oppressos a Diabolo.

Act. 10.

C A N O N.

Christianus muneris sui obseruans non desidet, sed ad gloriam Dei & utilitatem hominum pedes suos conuertit, iter suscipit nomine Christi & Christianorum, vt fundet terram, & plantet cœlum. Via ipsi est Iesus Christus. Via ipsi lex & sancta Dei voluntas. Viam ingreditur pacis, viam eligit veritatis. Cauet sibi a via iniquitatis & perditionis, & viam insistit iustorum, imo Christi ducis sibi viam ostendentes in omnibus.

S U S P I R I V M.

Pedes meos, sancte Iesu, tibi consecro, deduce eos in semita mandatorum tuorum, fidei & virtutum. Rege me bono spiritu, vt tecum ambulẽ, quo ipse mecum ambules. Dirige in conspectu tuo viam meam, & duc me, ne declinem a te. Ah Iesu, in via vite mea ne desere me palatam & titabantem, ne lapsus te deseram. Sicubi a via recta aberrauero, da statim vt conuertam me ad te

pasto-

pastorem animæ mee, & dicam cum Da-
uide: Erravi sicut ovis, quæ perit, requi-
re seruum tuum, Domine, & saluum me
fac per misericordiam tuam. Amen.



C A P. XXIX.

Christianus insequendo Chri-
stum viam fidei, & vitæ recte
emensus, tandem attingit
viæ metam, patriam
cælestē, ubi Chri-
stus est.

MACTENVS de via, per
quam Christianus ducem
Christum affectatur: Su-
perest Metæ viæ, finis sci-
licet, ad quem insequendo Christum
salutis Principem ferimur & deduci-
mur. Etenim dementiæ esset aliquē

sequi, si ignoraretur, quo ille nos per-
ducturus esset.

Meta via
Christiana.

META autem viae Christiano læ-
tissima & exoptatissima proposita est
ea, quæ merito ipsi merito omnes dif-
ficultates ipsi faciles tolerabilesq; red-
dere potest.

Ea autem est PATRIA & VI-
TA cœlestis, a qua exsulat omne ma-
lum, & in qua abundat omne bo-
num.

IN HAC PATRIA Christianus
omni labore viae perfunctus requie-
scet a laboribus suis. *Apoc. 14.* Abster-
get tibi Dominus omnem lacrymam
ab oculis eius: non erit amplius mors,
non luctus, non clamor, non dolor.
Apoc. 21.

Ibi iucundissima cum Deo suo con-
ditore, conseruatore, redemptore &
sanctificatore fruetur consuetudine,
quem facie ad faciem intuens, summa
cum lætitia in ea acquiescet, qui *Deus*
erit omnia in omnibus. 1. Cor. 15. Cum
Christo specioso præ filiis hominum

erit,

erit, suo scilicet Magistro & duce, & videbit gloriam eius, quam dedit ipsi pater. *Ioan. 17.*

Ibi imaginem Christianus cœlestis hominis gestabit. *1. Cor. 15.* Et reuelata facie gloriam Dei speculās, in eandem imaginem transformabitur a claritate in claritatem. *2. Corinth. 3.* (*hoc tamen gloriae suae initium ducat in hac terra necesse est,*) ibi veniet, quod perfectum est, & abolebitur quod ex parte, seu imperfectum est. Cognoscatque sicuti ipse cognitus est. *1. Cor. 13.* Fulgebit ut sol in regno patris sui. *Mat. 13.* Erit filius Dei, sicut angeli in cœlis sunt. *Luc. 20.* Similes erit ipsi sibi apparenū Deo. *1. Ioan. 3.*

Ibi aggregabitur Christianus sanctorū angelorū cōcilio, fideliumq; cœlesti cōsortio, qui conscripti sunt in cœlis. *Heb. 12.* Ibi mutua cognitio, perfectior dilectio, ppetua Dei celebratio.

Ibi perfundetur gaudio animi vero, & exsultabit sine tædio, in hereditate imortali, incontaminabili & im-

marcessibili. *1. Pet. 1.* Gaudio ineffabili. Ipsi Christiano Christum filium suum ita imitato, præparavit Deus in cœlesti patria, quæ oculus non vidit, auris non audiuit, & in cor hominis non ascenderunt.

C A N O N,

Omnis Christianus per angustam portam in viam arctam & strictam ingressus, spe consequendæ Metæ, animose progreditur, summa accuratio-
ne annitens & contendens ad patriã & vitam cœlestem; Sperans devictis omnibus difficultatib. per Christum, quem sequitur, & in quo omnia potest, se tandem in cœlestem gloriam, lætitiã, & beatitatem peruerturum, ubi sibi sit parata relaxatio ab omnib. ærumnis ac miseriis, quæ ipsi inter sequendum deuorandæ sunt.

Testatur enim Apostolus Paulus, *Phil. 2.* *Christum patri usq; ad mortem crucis fuisse obsequentem, eamque ob rem Deum super exaltasse ipsum, & dedisse ei nomen, quod sit super omne nomen: ut in*

nomi-

nomine Iesu, omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & inferorū, & omnis lingua confiteatur, quod Dominus Iesus in gloria sit Dei patris.

Vnde in Symbolo Apostolorum confitemur, Christum, ex quo mortuus & sepultus est, ac tertio die resurrexit, ascendisse in cælos, sedere ad dexteram Dei patris omnipotentis, eandem cum patre maiestatem, potentiam & imperium occupare, sicut ipse precatus est, Ioannis 17. *Glorifica me pater, apud te metipsum ea gloria, quam habui apud te, priusquam hic mundus exsisteret.*

Id ipsum complures etiam promissiones confirmant. Christus ait, Ioan. 12. *Si quis mihi ministrat, me sequatur. Nam ubi ego fuero, ibi & minister meus erit. Et si quis mihi ministraverit, honorabit eum pater.* Ioan. 14. *In domo patris mei habitationes multe sunt: sin minus dixissem vobis. Vado paraturus vobis locum, & cum abiero & parauero vobis locum, rursum veniam, & assumam vos ad me ipsum, ut ubi sum ego, & vos sitis.*

Hoc repetit postea in testamēto suo quod ut verus homo cum Deo patre suo condidit, & obsignauit, & dixit, Ioannis 17. *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum, & illi sint mecum, ut spectent gloriam illam meam, quam dedisti mihi.* Quibus verbis fretus Apostolus Paulus dicit: *Municipium nostrum in caelis est, unde etiam seruatorem exspectamus Iesum Christum, qui transformabit corpus nostrum humile, ut conforme fiat corpori suo glorioso.* Phil. 3.

PRECATIO.

*Te sequor, Iesu mi seruator, quo enim i-
bo, tu habes verba vitæ æternæ. Cognoui
enim te esse Christum filium Dei viui, qui
via, veritas, & vita est. Proinde spero &
fido me etiam eo peruenturum, ubi tu dux
& Magister Iesu es nunc, ut ibi perfe-
ctam terrestrium angustiarum recreatio-
nem percipiens tecum in æternam viuam.
Sim igitur hic pauper, scio me illic æternos
possessurum thesauros. Afflicter hic mul-
tis doloribus & acutis morbis: scio tamen
illic me omnis doloris & infirmitatis pla-
ne fore*

ne fore

ne fore expertem, quippe glorificatum habiturus corpus, nullius doloris sensum sum percepturus. Diuexent hic me varia tentationes, scio me olim ab omni tentatione ereptum, sanctis angelis assimilem futurum. Contemnar hic ab omnibus Mundi huius hominibus, quid tum? confido me illic cum sanctis electis Dei caelestem gloriam consecuturum. Relinquam hic propter te Iesum viam, vitam & veritatem meam, patriam, domum & omnia, que possidenda dedisti; Scio tamen illic me aeternam seu permanentem patriam inuenturum, ex qua me nullus Tyrannus aut Princeps huius mundi eicere & eliminare poterit. Obuersentur mihi denique hic & in hac via omnes terrores, omnia pericula mundi; Domine Iesu; illic ubi tu nunc es, ero tutissimus & quietissimus, ibi me manet ineffabilis retributio, qua me facit omnes huius seculi difficultates & patienter ferre, & fortiter superare. Sed in te, Iesu, omnia possum.

Amen.

11



C A P. XXX.

De εὐδαιμονία Christiani.

Mors Christiani beata est.

HACTENVS perstrinximus vitam Christiani in fide filii Dei, secundum præscriptam eius regulam agendam, ad eoque εὐζωία Christiani est exposita: εὐζωίαν sequitur εὐδαιμονία, beate moriendi via & ratio.

Mors
Christiani
inqualis.

Mors autem Christiani Christiana, hoc est, pretiosa, sancta & beata est, in conspectu Dei: Illi quippe mors est via ad cœlum, & æternæ vitæ nuntia.

I. Christiano dies mortis melior est, quam dies natiuitatis. Eccles. 7. *Quia dies natalis est accessus ad omne dolorum & miseriarum genus: emortualis vero vitæ sanctimonie iunctus introitus & gra-*

dus

dius est ad beatam æternamque vitam.

CANON. I.

Incoanda est vita æterna in hac mortali vita Christiano, vt vere dicere possit, non semet, sed Christum in sese viuere: adeoq; iustificatus & sanctificatus pacem cum Deo habet per Christum.

2.

Continuanda est vita æterna Christiano in morte seu exitu ex hac vita per mortem, vt in Domino mortui, corpore humato, anima in cœlum per angelos transferatur.

3.

Consummabitur Christiana salus & vita in fine mundi, ac ultimo iudicio, vbi anima & corpus Christiani rursus vnita pariter cœlesti beabuntur gaudio & gloria.

SUSPIRIUM.

Concede mihi, o Pater omnis misericordie, vt spiritu tuo sanctificatus ita sancte viuam, vt in Christo beate moriar, & cœlesti cum letitia ac gloria ex terra resur-

S

2.13. str.

gam ad vitam eternam. Da pater, ut
hic primum eterne vite gradum, fide &
vita sancta conscendam, & secundum at-
tingam per mortem beatam, ad tertium
peruenturus in extremo iudicio, resusciter
ad caelestem immortalitatem. Amen.

Mors
Christia-
ni quid.

II. Mors Christiani est liberatio,
ab omni miseria. Non homo, sed mi-
seria hominis moritur. Christianus
hic plurimis periculis, terra, mari, va-
riis calamitatibus, cruciatibus, mole-
stis, morbis est obnoxius: Ista omnia
vna cum morte moriuntur. Dū in hac
vita commoratur, seruitutē seruit cor-
ruptioni originali, & inde ortis reli-
quiis: Vnde diuexātes nos dubitatio-
nes, *ἀπιστία*, ignorantia, auaritia, ambi-
tio, libido, inuidia, odium, & similia
scaturiunt, quorum mors stipendium
est & fructus. Originaria corruptione
& cordis contumacia toties turbari &
torqueri, o quanta miseria, dolor
quantus! Commorari Christianos
inter improbos, ouium instar inter hœ-
dos, a quibus ipse feriuntur, pascua cor-

rum-

rumpuntur, aqua turbida redditur, o
quam graue pio pectori!

C A N O N.

Benedicta est benedictis dies mor-
tis, mortem omnium peccatorum, &
plenam ab omnibus hostibus libera-
tionem secum afferentis, vt per mor-
tem corruptione naturæ prorsus abo-
lita, sanctificatio perficiatur. Ergo

Christianus, cui mors victa & ab-
sorpta est. *Ies. 25. Ose. 13. 1. Cor. 15.* mor-
tem suam æstimabit ab omni sua mi-
seria liberationē, & quidem redem-
tionem suam a peccato. *Rom. 6.* Est e-
nim ille emancipatus, liber factus a
seruitute peccati, factus Baro, liber
homo; Mors illi annus Iubilæus, an-
nus remissionis & manumissionis.

S V S P I R I V M.

*Sapius, o Deus, instigor in hac vita a
corruptione ad peccandū: Patior colaphos
Satana, surculo carnē meā ad intima cor-
dis penetralia vsq; sauciente & cōpūgente.
Venditus sum in seruitutem peccati. Miser
ego homo, quis me eripiet ex isto corpore*

mortis? *Ah sic torqueri & turbari contumacis cordis & carnis corruptione, infernus mihi ipse est. Eripe me ex hoc inferno, me nimium quantum excruciante. Pectori novæ vitæ studio accenso inveniri crudelius tormentum posse haud crediderim. Huc accedit, Eheu, quod tam diu peregrinandum & habitandum mihi sit in Kedar & Mesech. Si vis, per mortem finito mala mea, tollito presentem & avertito imminentem miseriam. Et fac, o Deus, ut certa fide statuam morte finire omnem meam miseriam. Amen.*

III. Mors Christiani est accessus ad æternam felicitatem: quo animæ eius datur perfrui conspectu Dei immortalis, Christi angelorū, & sanctorum in regno cœlesti. Hinc Christianorum, de quibus hic nobis sermo, mors non est mors, sed optatissima benedictio habenda. Quod Paulus cogitans in votum effusus exclamat: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo.*

Hinc Mors sanctorum pretiosa dicitur.

1. Collectio vel abitus ad Patres, ad populum suum. *Gen. 25. 35. 49. Nu. 27.*
2. Pacificus abitus, *Gen. 15.* Pacifica dimissio. *Luc. 2.*
3. Requies in cubiculo, *Ies. 26. Apoc. 14.* Requiescunt a laboribus: ibi quies est. 1. *Pacatae conscientiae.* 2. *Inexantlata militia.* 3. *In crucis vacatione.*
4. Somnus. *Mat. 9. Ioannis. 11. 1. Thes. 4. 1. Cor. 15.* Hinc Christus consecrauit sepulcra, vt essent κοιμητήρια, dormitoria.
5. Deposito Tabernaculi. *2. Cor. 5.*
6. Emigratio ex hospitio corporis. *2. Cor. 5. Phil. 1.* Item ἀνάλυσις, ibidem, nempe, traiectio ex hoc seculo ad portum, liberatio ex vinculis & carcere, emigratio ex hoc diuersorio.
7. Victoriæ consummatio seu finis, ostium vitæ, & portus quietis. *Apoc. 14.*

Greg. Porta gloriæ Dei. Bernh. Ianua vitæ.

CANON. I.

Mors Christianis lucrum est, Pau-

lus: Mors Christianis lusus est, Prudent.

2.

At mors interim Christianis consideranda, in spirituali & efficacissima sui cum Christo coniunctione, qua quanticunq; sunt, qua corpus, qua anima, cum ipso vniti sunt integri. Ergo,

Etsi in morte Christiani fiat anime a corpore diuulsio: nulla tamen, vel corporis, vel anime euenit a Christo distractio: Sed illud ipsum corpus in sepulcro putrefactum, vel in mari submersum, vel in cineres redactum Christo unitum permanet, membrumq; eius, tum non minus, quam ante, viuum dum esset, censetur. Ergo,

Dum tempus nobis in hoc mundo conceditur, illud omni studio collato, eo nobis conferendum est, vt Christo simus quã coniunctissimi.

At ne dubitemus de hac coniunctione, fructibus oportet, iustæ & veræ resipiscentiæ quotidie nos membra mystici corporis ipsius probemus.

SUSPIRIVM.

Mi Deus, mi Deus, ne derelinquas

me,

me, spiritu tuo mihi est opus, qui me uniat
per fidem filio tuo, Domino meo Iesu, qui
mortem obtriuit & vi omni exsistit, qui se-
pulcrum meum consecrauit; Hic spiritus
tuus me sanctificet totum, ut conscientia
mea per hunc spiritum hoc mihi testimo-
nii perhibeat, me templi tui viuum esse la-
pidem, & frugiferum, Christi mei, vera
illius ac generosa vitis palmitem; adeoque
credam & sentiam mortem meam mihi
esse ianuam vitæ, & aditum ad te felicissi-
mum, experiarq; me ad salutem apprehen-
dendam multo magis vel extremis in mor-
tis angustiis permotum fuisse, quam toto
vitæ superioris curriculo. Da mihi, o pa-
ter, post funera tuam gloriam & maiesta-
tem intueri, tuam, inquam, qui pater
meus es; Tuam, qui Iesus & seruator meus
es; Tuam, qui spiritus & consolator meus
es, ut beata tua æternaq; communio-
ne letus fruam.

Amen.



C A P. XXXI.

*Christianus preparat, accin-
git ac componit se toto vita
sue decursu ad beate
moriendum.*

*Euthana-
sia duo ca-
pita.*



*Preparatio Christianæ duo
sunt capita, 1. Sancta ante
mortem preparatio. 2. Bona
Christiani in morte consti-
tutio.*

*Prepara-
tio ad
mortem.*

SANCTA CHRISTIANI ante
mortem ad mortem PRÆPARA-
TIO est, qua se Christianus sollicite
vigilando componit, ad beate mo-
riendam.

*Nihil ad mortem ipsam pio, forti, & li-
benti animo obeundam, plus adfert adiu-
menti, quam seria & assidua ante mortem
ad mortem hominis preparatio.*

Mori

*Mori enim ante mortem, summa est
sapientia. Si vis viuere, discere mori.*

Seu, vt Poeta:

Vt tibi mors felix cōtingat, viuere discere:

Vt felix possis viuere, discere mori.

Et Epigramma Wolfii:

*Vna est viuendi & moriendi regula
recte:*

Vt moriari pius, viuere discere pie.

Præparationis huius officium Chri-
stiano est necessarium: Siquidem scri-
ptura S. ipsi seuerissime vigilias & pre-
ces iniungit, præcipitque, vt in secun-
dum Christi iudicaturi aduentum o-
mnibus modis expeditus sit. Ipsa ve-
ro eadem edicta simul obligant Chri-
stianum, vt se sancte ad mortem com-
ponat: Siquidem ipso etiam tempore
Deus singulos iudicatum venit. Quo
enim mors hominem loco relinquit,
eodem iudicium extremum corri-
piet eundem. Dum hic viuitur, emen-
dationi relictus est locus: at mors mu-
tationem reliquam nullam facit.

C A N O N.

S 5

Nemo, qui diem suum bene feliciterq; obire cupit, sanctam sui ad bene moriendum præparationem & compositionem omittere potest. Ergo

Cuius Christiano quovis tempore, ex mandato Christi vigilandum est, ut sit paratus, quia, qua hora non putaverit, filius hominis veniet.

Marc. 13. Vigilate; nescitis enim quando Dominus domus veniat, sero, an media nocte, an galli cantu, an mane, ne cum venerit repente, inueniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico; vigilate.

August. Latet ultimus dies, ut obseruentur omnes dies. Seroparantur remedia, cum mortis imminet periculum. Imparatum mori, est periculosissimum.

SUSPIRIUM.

Fac, o pater cælestis, ut numerem dies meos, atq; ita me intelligentem redde, ut adducam cor ad sapientiam. Fac me paratū, ut inuenias paratū venturus me hinc ablatum. Notum fac mihi, Domine, finem meum & numerū dierū meorum, ut

sciam

sciam cuius sim aui. Doce me vigilare, & dormituri-entem in securitate excita. Pra-
cinge lumbos meos, manibusq; meis da ardē-
tes lucernas, vt bene preparato animo ex-
spectē aduentū Domini mei, & ingrediar
laudatus in gaudiū Domini mei. Amen.

Sancta porro ante mortē hominis
Christiani præparatio fit Ante mor-
bum vel In morbo.

Ante morbum præparatio est, qua
Christianus se toto vitæ suæ curriculo,
ad beate moriendum componit.

Nihil certius est morte, & nihil in-
certius morte.

Certius nihil est morte; siquidem
omnibus moriendum est, nemo vt eā
effugere queat. Mors quotidie, quasi per
fenestras penetrat in ades nostras. Ezech.
31. Itat ante faciem nostram. Hab. 3. Vno
gradu nos & mors diuidimur, vix vno
passu a morte absumus. 1. Sam. 20.

Incertius nihil est morte, PRIMO,
ratione temporis. Nulli enim tempus
& hora moriendi certa est & explora-
ta, vt eo vsque mortis curas ablegare

Præpara-
tio ante
morbum
quid.

Certius
morte ai-
bil.

Incertius
morte ne-
bil.

& reiicere tuto possit, interea securam in otio & deliciis acturus vitam.

Certa quidem mors est, incertus exitus eius.

C A N O N.

Cum periculum sit in mora, Christiani est stare in procinctu, mortisq; semper vt præsentis meminisse: quæcunq; diem putare sibi diluxisse supremum. Siquidem in pedibus mortem, atque in toto corpore mortem gerit, non differt, neq; gloriatur Christianus in crastinum.

S V S P I R I V M.

Inanes mitte spes, anima mea; Transitus celer est, & auolamus: Mors non tardat. Sic vive potius, quasi terminus iam lapsus sit, & hic dies sit extremus. Vita tua est similis nauiganti. Is namq; qui nauigat, stet, sedeat, iaceat, vadatq; impulsu nauis ducitur: Ita & tu siue vigilans, siue dormiens, siue iacens, siue ambulans, siue volens, siue nolens, per momenta temporum, quotidie ad finem duceris. Quam facile & ex improviso piscis capitur ab harpo,

avis

avis a laqueo? Circumspecta sis, ne ab hoc hamo & laqueo imparata occuperis. Sint lumbi tui precincti, & lucerna tua accensa.

Tibi vero, o Deus, tempus mortis & vite mea exacte constat; Tu mihi terminum prescripsisti, quem praterire non potero. Tu itaq; singulis momentis compone me, ut ad mortis horam sim paratus, ne glorier in crastinum, quem non promissisti, ne preparationem in horas multas differam. Fac ut in vocatione fidelis, me meaq; tibi semper vnice commendem, in cuius manibus tempora mea sunt. Amen.

Secundo incerta mors est ratione loci. Nemo enim nouit vbi sit occubiturus. Et vt mors non habet rationem personæ, sic etiam nec loci. Nulla fataloco possis excludere. Non turre altae, non munitæ arces, & aratæ portæ mortem eliminare possunt.

CANON.

Christianus Deo mortem debet, quam siue in hoc, siue in illo loco obbeat, illi perinde est. Quo mori are

loco, nil refert. Domini enim est omnis terra, & plenitudo eius.

CANON ALIVS.

Cum, quo loco morste moretur, haud scias, factu locis mortem moreris omnibus. Recte Seneca: *Nihil ad rem pertinet, quo loco desinas; quocumq; voles, desine: tantum bonam clausulam impone.*

SUSPIRIVM.

Sancte pater, si hora vita effluxit, fac, quæso, quemuis locum mihi ad moriendum idoneum, ut siue domi mea, siue ruri, siue in undis, siue super strato moriar, beate, ubicumq; sit, in Domino moriar, in vera fide & penitentia discedam e vita, nihilque mea saluti officiat. Nihil officiet, modo tua me gratia paratum efficiat. Amen.

Tertio incerta mors est ratione modi & generis mortis. Nemo præuidit, cita an lenta, naturali an violenta morte sit occupandus. Ergo recte dicitur

Nemo

*Nemo obitus nouit tempusue, locumue,
modumue.*

C A N O N.

Quotidie Christianus instructus
sit ad obeundam quamuis mortem,
siue sit naturalis & placida; siue sit vio-
lenta ab hoste, vel casu illata, siue sub-
ita & improuisa, prout Domino suo
& Imperatori vitæ suæ placuerit.

S V S P I R I V M.

*Duc me, nec sine me, per me, Deus opti-
me, duci:*

*Nam duce me pereo: te duce saluus
ero.*

*Ita vero duc & rege me, sancte spiritus,
ut quocunq; tēpore, quocunq; loco, quācūq;
mortē, q̄ intuleris, parato & pacato pectore
exspectem & obeam. Sanctifica me totum,
ut mors me sanctificatum offendat, &
sanctificatum caelo inferat, ubi gloria
& gaudio tuo perfruar.*

Amen.



C A P. XXXII.

*Christianus mortem suam in
media vita medita-
tur.*

Prepara
tionis ante
morbū
requisitū
Medita
tio mortis
fit tribus
modis.

AD preparationem Chri-
stiani ante morbum ad
mortem **P R I M O** re-
quiritur **M O R T I S** in
media vita **M E D I T A T I O**.

Meditatur autem Christianus re-
cte mortem tribus modis.

Primo, quando secum considerat,
*Mortis causam, nempe, Peccatum. Sti-
pendium peccati mors est, ait Paulus. Pec-
catum ubi perpetratur, gignit mortem,*
ait Iacobus. *Quocumq; die comederis de
vetita arbore, mortem morieris, ait Ie-
houa.*

Secundo quando exquirat reme-
dium aduersus mortem, nempe, mor-

tem Christi. Christus enim mortem moriendo destruxit, & resurgendo vitam reparauit. Absorpta est mors in victoriam. Metus eius sublatus est, vt nihil aliud sit fidelibus, quam transitus ad vitam æternam.

Tertio, quando mortem imminentem, & quasi præsentem intueri discit: adeoq; singulos dies ad calculos reuocet, non secus ac si præsens quilibet dies, ipsi emortualis dies sit futurus.

CANON. I.

Vita Christiani est Meditatio mortis: vt qui a mortis cogitatione haud vllum sibi vacuum tempus elabi patiatur.

2.
Bene viuit Christianus commentando mortem, vt vitæ suæ finis sit mors beata, mortis suæ finis sit vita beata.

3.
Christianus commentatur mortem, dum aduersus aculeum mortis

T

peccatum, quærit in morte Iesu Christi remedium, qui aboleuit mortem, & vitam in lucem produxit, & immortalitatem per Euangelium. 2. Tim. 1.

4.

Christianus discedens cubitum rationem secum conficit, posse fieri, ut postremum e lectulo suo mane surrexerit, & surgens cogitat, cubitum forte amplius nunquã se rediturũ. Insinuat sese eius auribus hæc vox: *Memento mori. Vne memor Lethi, fugit hora.*

PRECATIO ex Psal. 100.

*Tu manes idem pater orbis, vnus
Nec vices rerum patiens, nec cui
Termino clausus breuis, vnus expers
Finis & ortus.*

*At breuis nobis miser æq; vitæ
Fila paulatim tenuas, senecta
Donec in putrem cinerem caducos
Soluerit artus.*

*Tempus amorum tibi mille, lucis
Instar hesternæ, fluidiq; puncti,
Nulla decursus, quod ubi recessit,
Signa reliquit.*

Nostra

Nostra vanescit tenues in auras
 Vita, per siccas velut unda arenas,
 Aut velut sensus per opaca ludens
 Noctis imago.

Herba, ceu verno saturata rore
 Mane, mox languet sub medio aestu,
 Mox humi comis iacet arefactis
 Vespere sero.

Præter & vitæ mala tot fugacis,
 Quæ voluptates vitiant amaro,
 Ira turbatis tua semper instans
 Pectora vexat.

Quicquid erram^{us} temere aut maligne,
 Quæ timor celat tenebris pudorue,
 Tu vides, nec de latet inquieti
 Pectoris æstus.

Dum tui pœnas meritas furoris
 Mens reformidat prope cogitatu
 Ocyus vitæ spatium citatis
 Ausugit alis.

Septies denos spatiosa in annos
 Vita procurrit, quibus est senectæ
 Firmior ferme in decimum supersunt
 Amplius annum.

Quid senectutis memorem labores?

Transuolat blanda breue ver iuuenta
 Inquies curis miserisq; morbis
 Ocyus Euro.

Deinde quis iusta tolerabit ira
 Impetum, si iam iubeas nocentes,
 Pro modo offensa numeroq; iustas
 Pendere pœnas?

Sic, pater, sic o numerare fluxa
 Nos doce vitæ spacium, caducis
 Mens ut a curis reuocata, veri
 Lumen honesti

Cernat. O tandem placidus fauensq;
 Desine irarum, propiusq; seruis,
 Semper assueti tibi lenitate,
 Consule fessis.

Hæc mortis meditatio Christiano
 multiplicem affert fructum.

I. Humiliat eum sub potenti manu
 Dei, ut consideratione suæ mortali-
 tatis, se coram Deo abiiciat.

II. Prodest Christiano resipiscen-
 ti ad progressum in resipiscencia fa-
 ciendum.

III. Gignit in animo Christiani
 ἀνύσκηταιν, ut quocunq; in statu Deum

velit

Medita
 tio mortis
 quem se.
 rei fructū

velit eum esse, sit semper æquo animo.

IV. Deniq; multum valet ad dona Dei in Christiano, tum excitanda, tū amplificanda.

CANON. I.

Omnis Christianus ex animo suo noxiam & falsissimam, quamuis naturalem, istam persuasionem eradicet, qua fieri assolet, vt vnusquisq; sibi benedicat ipsi, nimiumq; tribuat: Et licet altero pede sepulcro immineat, spem tamen sibi faciat, haud adeo prope dum mortem abesse. Ergo potius eodem, qui Hieronymo fuit, sensu afficiatur & fruatur semper. Is enim *siue vigilaret, siue dormiret, siue aliud quid ageret, semper visus est sibi sonum audire tubæ, has voces auribus insonantis: Surgite mortui, venite ad iudicium.*

2.

Quuis Christianus cum Dauide precetur: *Fac Iehoua vt experiar finem meum, mensura dierum meorum quid sit:*

experiar, quam durabilis sim. Et cum Mose: Numerare dies nostros ita doce nos, ut inducamus animum sapientem.

BONAVENTURA.

Consideratio mortis parit sex bona. 1. Facit peccata fugere. 2. Mundum contemnere. 3. Seipsum contemnere. 4. Vitam presentem recte regere. 5. Recte temperare presentem letitiam. 6. Recte diuidere presentem & futuram vitam. Qui enim ponit se in articulo mortis, quasi in medio presentis & futurae vitae se collocat.

SUSPIRIVM.

Ita me compara, misericors pater, ut singulis momentis meminerim me mortalem esse, ita genitum, ut anima a corpore hoc rursus discedat; ut corpus in terram, unde sumtum est conuertatur, anima vero vel pœnis infernalibus addicatur, si ita in vita merita est; vel ad eternam in cœlis habitationem, si sanguine Christi expiata sit, ministerio angelorum transferatur. Da, inquam, pater, ut quotidie recorder me moriturum, ut contemniam presentia & ad futura festinem.

Ipsè

Ipse iubes mortis me meminisse Deus. Fac itaq; in omnibus operibus meis nouissimorum meorum recorder, & in aeternum non peccem. Amen.



C A P. XXXIII.

Christianus indies discit vim mortis infringere.

Secundo ad præparationem ante morbum postulatur, vt Christianus quiuis quotidie vim roburq; suæ mortis infringat ac imminuat.

Vt enim Philistæi robur Samsonis experti, viâ indagauerunt, vnde cognoscerent, qua in parte corporis tantæ vires essent. Edocti autem capillis eas contineri, non cessarunt vsque dum detonsi essent: Ita & nobis dies aderit, qua cum truculenta morte manus conseramus, artemque,

i quam didicerimus, duelliam adhibeamus. Ergo ere nostra est, dum tempus fert, nature ut scrutemur, ubi sita sit vis mortis. Quo cognito, sine mora, istos Samsonis capillos praecidere, vires armaq; omnia ipsi detrahere atque ita ipsum infirmare queamus, ne vincere nos vlla ratione possit.

Verbo autem Dei erudimur mortis vim positam esse in peccatis nostris. I. Cor. 15. *Aculeus mortis est peccatum. Sed Deo sit gratia, qui dedit nobis victoriam.*

CANON. I.

Mors cuiusvis hominis propria, in eiusdem hominis proprio peccato, omne robur suum collocatum habet. Ergo.

Quis Christianus operam & tempus suum conferat, ut sibi remedium eiusmodi comparet ac usurpet, quo peccata sua deleantur, quibus deletis, vis mortis suae deleta, vel potius imminuta est.

2.

Christianus praeteritorum suorum

deli-

delictorum nomine, se vere humiliet, ea agnoscat & confiteatur, eorum veniam a Deo precibus suppliciter contendat.

3.

Christianus ad Deum conuersus in futurum secum constituat, diligentissime cor & vitam sacrosancto Dei verbo submittere, & obediendo accommodare.

SUSPIRIVM.

Laesi maiestatem tuam diuinam saepius grauiter peccando, pauet conscientia vulnerata, crucior sensu irae tuae, audio poenarū tuarū horrendas comminationes, iuste Deus. Quo me conuertam? Pro merui peccatis meis, mortē animae spirituale, ut priuer p̄sentia spiritus & gratiae tuae; & mortē corporis mei, omnesq; misérias, quae ad illā adducunt: Et mortē animae & corporis sempiternam, ut in ignem aeternum precipiter. Pro merui, fateor. At confugio ad immensam tuam misericordiam, pater misericordiae, propter filium tuum Iesum meum, ut misertus mei, ne tollas tuam a

*me gratiam & spiritum, ne tibi mortuus
uiuam Satanae. Miserere mei, moriendum
est mihi mortali, aufer mortis meae stimu-
lum, ne noceat. Dele, tolle peccata mea, quae
coniecisti in tergum filii tui. A morte sem-
piterna & secunda libera me, custodi me
Deus, discupio enim deserere malum, ad-
haerescere bono, tibi uiuere, & nomen tuum
sanctum celebrare in secula. Amen.*

Ergo dat operam Christianus ut
morti suae aculeum adimat, armis
quotidianae Resipiscentiae. Auertit se
a malo malorum pessimo, peccato;
conuertit se ad bonum bonorum Opt.
Max. Deum. Tollit consueta pecca-
ta, & si quae fouit, radicitus ex agro
cordis sui euellit, & abs se abiicit.

C A N O N. I.

Nouerit igitur Christianus, totidem
mortis aculeos sibi fuisse infixos, quibus
eius anima configeretur aeternum moritu-
ra, quotquot ipse peccata commiserit un-
quam Ergo

*Nullum, quod nouit, delictum prae-
rit,*

rit,

rit, cuius causa se non humiliet, veramq;
testetur resipiscentiam.

2.

Idipsum facere Christianum quo-
tidie, dum valet, decet, quod mori-
bundus esset facturus. Moribundus
autem improbissimus quiuis pecca-
tar vitæ emendationem vouet.

3.

Quicumque a morte superstes esse
vult, & veram viuere vitam, mori de-
bet, dum viuit, peccatis suis; Viua iu-
storum vitam, vt moriatur mortem
iustorum.

S V P I R I V M.

*Iuua me, Deus, ne peream. Hostis ulti-
mus quotidie mihi struit insidias ultimas.
Aggrediens me mors arma, quib. se mu-
niat, meq; feriat, ex mea manu porrecta, ac-
cipit. Peccata mea ipsi sunt aculei ad ene-
candum me miserum. O peccata peccata,
quantam noxam homini affertis! Dete-
stor vos, quorum vi nocet mihi mors, qua
vi mortem in me ipsum vesanus armo.
O me dementem! Exue me, Deus,*

hac insania. Lava me sanguine filii tui; sanctifica me spiritu tuo; Libera me de corpore mortis huius. Teneor tædio huius miserie, & æternæ vitæ desiderio, ad cælos spiro. Veniam pater peto, da, ut mortuus peccatis tibi Deo meo in & per te viuam. Amen.



C A P. XXXIV.

Christianus mortem cõmentando, in hac vita ad æternæ vitæ, primum gradum spirat.



Itæ æternæ tres sunt gradus. PRIMVS in hac vita attingitur. Cum Christianus vere dicere potest, non semet, sed Christum in sese viuere. Id autem tum de se dicere potest, quando cum fide coniungit resipiscentiã,

& iu-

& iustificatus ac sanctificatus pacem cum Deo habet.

SECUNDVS, est in exitu huius vitæ, vbi facta dissolutione animæ & corporis, anima in cœlum deportatur.

TERTIVS, incidit in vltimum iudicium, cum anima & corpus de nouo coniuncta pariter cœlesti benedictione donantur.

Christianus itaque meditans mortem suam contendit ad primum vitæ æternæ gradum, vt postea in morte ad secundum feliciter perueniat.

C A N O N.

Quisquis æterna beataq; vita perfrui cupit in cœlo, eum in hoc mundo necesse est facere initium resurrectionis ex sepulcro suorum peccatorum, quo natura corrupta ipsum destruserat, nouamq; vitam incoare.

Apoc. 20. *Beatus & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima: In hos enim secunda mors non habet potestatem. Coloss. 1. Paulus dicit: eos esse liberatos*

a potestate tenebrarum, ac translatos in regnum filii Deo dilecti. Luc. 17. ait Christus Iudaicæ Ecclesiæ: Regnum Dei inter vos est.

SUSPIRIVM.

Excita, Omnipotens Deus, me dormientem, ut surgam a mortuis, & illuminet me Iesus Christus. In sepulcro peccatorum & miseria iaceo & fœteo, suscita me forti tua dextera, ut vivus resurgam, spiritus tuus & verbum tuum vivificet me. Cor meum purifica fide in Christum, eiq; inspira spiraculum vite spiritualis, ut vitam, sensum, & motum spirituales habeam, teq; Deum vita, sensu & motu omni glorificem. Amen.

Tunc autem Christianus primum vitæ æternæ gradum obtinet, quando cum Paulo vere profiteri potest: Non ego vivo, sed vivit in me Christus (Gal. 2.) h. e. sentio partim testimonio sanctificatæ conscientia, partim experientia Christum servatorem meum suo S. spiritu cogitationes, voluntatē, affectus ac vires omnes, tum corporis, tum animæ meæ regere ad laudatissimum præscriptum sanctæ suæ voluntatis.

Vt

Vt autem vere hoc pronuntiare de se possit opus ipsi est,

1. Notitia certa ac salutari, qua vere sciat, atque statuatur Deum PATREM Domini sui Iesu Christi, esse etiam SUUM patrem. CHRISTVM ipsius filium, suum esse redemptorem. SPIRITVM sanctum, suum esse paracletum. Ioannis 17. *Hæc est vita æterna (ingressus ad vitam æternam) ut te esse solum illum verum Deum cognoscant, & quem misisti Iesum Christum.*

2. Opus est pace conscientia superante omnem intellectum, quæ potis est animam & sensus nostros conseruare ad vitam æternam. Hinc Paulus dicit Rom. 14. *Regnum Dei esse iustitiam, pacem (conscientia) & gaudium in spiritu sancto.*

3. Opus est ductu spiritus sancti, quo cor & vita hominis secundum verbum Dei regitur, eiq; magis ac magis conformatur. Rom. 8. *Quotquot spiritu Dei ducuntur, hi sunt filii Dei.*

CANON. I.

Vt Christianus potiatur vita æterna,

in vita temporalis, ipsi incoanda est æterna per vitam Christi, quæ viuitur salutari Dei notitia, pace conscientia, & ductu Sancti Spiritus.

2.

17. *7^{to}* Vt pavor conscientia, quæ culpa tenetur, mortis & exitii principium est; ita pax conscientia promanans a morte & sanguine Christi, gustus beata & æternæ vitæ est.

SUSPIRIVM.

O Deus hodie domui & anime mee contingat salus; Mortuus saluari opto, in vitada, ut initia salutis percipiam; In hac vita, o Deus, ordire salutem meam, ut posthanc vitam, ad salutis plenitudinem perueniam. Ne cum mundo putem, me non ante vitam æternam ingredi, quam moriar. Da hic ut recte credam, & pie uiuam. Non enim quiuis dicens, Domine, Domine, introibit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem tuam. Dicere possum: fac ut faciam.

Amen.

CAP.



C A P. XXXV.

*Christianus meditans mor-
tem, viuendo mori discit,
vt moriendo viuere
possit.*

DENIQUE ad propositam
præparationem requiri-
tur, vt Christianus dum
in terra viuit, priusquam
re ipsa moriatur seipsum excitans, stu-
diose discat paulatim mori. Vt enim
cursores ante currendo se exercent,
quam stadium currant, vt ludicra vi-
ctoria potiantur: Ita & Christiano in-
cipiendum est mori, dum viuit, vt tan-
dem confecto curriculo victor æter-
num beandus moriatur.

Hinc Apostolus inquit, 1. Cor. 15.
Indies morior per gloriationem, quam ha-

deo in Christo Iesu domino nostro. Vbi non tantum intelligit pericula, quæ per vocationem suam adiit & obiit, sed animum etiam in omnibus periculis & afflictionibus se ad mortem accingentem. Tum n. bene incipimus mori, cum omnib. aduersis, tum corporis, tum animæ recte vtentes, isthuc contendimus, vt patienter ea feramus, Deoq; castiganti nos reuerenter submittamus.

Christianus itaque sibi & peccatis suis mori discit, vt Deo & iustitiæ viuat. Huc pertinet *actus Mortificationis*.

MORTIFICATIONIS autem est ipsa renuntiatio facta Sathanæ, peccato, mundo, & abnegatio nostri: hac habemus communione[m] cum morte Christi, cuius virtute vetus homo in nobis crucifigitur, & tandē occiditur.

CANON. I.

Mori discit homo mortificando veterem Adamum, ne regnet in mortali corpore suo, seu moriendo peccato & iniustitiæ.

2.

Vt grauioribus peccatis Christianus mori possit, a minoribus mortificandis exorditur, quibus superatis & abolitis, postea facilius erit subiugare imperiosiora.

SUSPIRIUM.

Mihi prius mori desidero, pater, ut tibi viuere possim. Ingemino vota mea, quae sunt, ut vetus meus homo crucifigatur, ut destruat corpus peccati, ne amplius seruiam peccato. Scio me victurum tua gratia, ubi spiritu facta carnis meae mortificauero, ubi non seruo conformatus huic seculo, sed reformatus in nouitate sensus mei. Expurga igitur ex me, sordida tanquam massa, vetus fermentum, ut sim noua conspersio, meque ipse mundem ab omni inquinamento carnis & spiritus, ac perficiam sanctificationem in timore tuo, per Iesum Christum. Amen.

Dehinc discit Christianus in hac vita minuscula mala ferre, veluti, morbos corporis, aegritudines animi, iacturam

rei familiaris, honorum, amicorum, quæ mala leuiculæ mortis loco, aut principiorum mortis haberi possunt, vt malum omnium grauisimum, nempe mortem sustinere possit.

C A N O N.

Christianus ferendis leuiculis (*vt i-
ta dicam*) mortibus adsuescat, ne grauiori illi, quæ proprie mors dicitur, sustinendæ sit impar. Ergo

Discat prius Prodromos mortis recte accipere, scilicet, *varias calamitates, vt pro dignitate ipsam mortem, ceu dominam, tractare queat.*

S U S P I R I V M.

In omnibus superandis malis, o Deus fortitudo mea, & refugium meum, esto clypeus, esto rupes, & propugnaculum meum. Tu cornu salutis meæ, subministra lassæ vires: alis tuis operi me, & sub pennis tuis sperabo. Concede robur, quo leuiora mala sustineam, vt grauiora, ac ipsam denique mortem, per fidem in Iesum mortuum & resuscitatum sufferre & superare possim. Amen.

C A P. XXXVI.

*Christianus cum morbo iam
conflictans in primis studet
sui cum Deo recon-
ciliationi.*



Dhuc ante mortem & morbum fuit præparatio Christiani ad mortem; SUCCEdit P R Æ P A R A T I O Christiani in morbo, quæ instituitur iam morbo ipsum corripiente. Cuius partes tres sunt.

P R I M A P A R S *Particularis* ad mortem præparationis in morbo, est serium studium R E C O N C I L I A N D I se Deo, quo piam dat operam Christianus, ut cum Deo in Christo Iesu reconcilietur, etsi iam dudum ipsi, de Dei erga seipsum gratia, constiterit.

*Præpara-
tio Chri-
stiani in
morbo.*

Consequitur autem hanc R E-
C O N C I L I A T I O N E M, cum reno-
uandæ fidei atq; resipiscentiæ ardenti
animo incumbit.

Redintegratur autem, excitatur,
augetur, & vegetatur fides atq; resipi-
scentia Christiani Opera, vel Propria,
vel accedente *Aliena*.

Opera propria ipsius Christiani æ-
grotantis fit redintegratio reconci-
liationis cum Deo per gradus sex.

I. Christianus vbi se morbo corri-
pi persentiscit, indaget, vnde is adue-
niat. Indagando autem inueniet non
fortuito, sed singulari prouidentia
Dei sibi morbum immisissum esse.

C A N O N.

*Christianus statuit Deum, qui opera-
tur omnia in omnibus, citra cuius volun-
tatem ne quidem capillus de capite nostro
decidit in terram, quo affligitur, mor-
bum sibi immisisse singulari consilio.*

2. Christianus vltterius progreditur,
& considerat causam, propter quam

Deus

Deus corpusculum suum ita infirma
iactari valetudine velit. Confide-
rando autem inuenit, a peccato or-
dinarie morbos oriri, etsi non ne-
get Deum morborum etiam alias ha-
bere causas, nobis quidem igno-
tas. Thren. 3. *Cur quiritatur homo
uiuens? Vir propter peccata sua quiri-
tetur.*

C A N O N.

*Statuit Christianus haud immerito ob
peccata sua in morbos & calamitates se a
Deo coniecti.*

Cum enim paralyticum sanasset
Christus, dicens: *Confide fili, remit-
tuntur tibi peccata tua.* Et restituto
ad Piscinam Bethesda homini an-
num tricesimum octauum in morbo
agenti præcipiebat, *ut caueret, ne am-
plius peccaret, ne quid deterius ipsi eue-
niret.*

3. Christianus genuinam morbi
sui causam vbi digito attigit, de

integro animum vitamq; suam omnē
exquirat, iuxta illud Thren. 3. *Perscrute-
mur vias nostras & peruestigemus, atque
reuertamur vsq; ad Iehouam.*

C A N O N.

*Vtitur Christianus hac potestate, &
quotidie, praesertim vero ager apud se caus-
sam dicit, totam vitam secum scrutatur,
facta & dicta sua remetitur: Nihil sibi ipse
abscondit, nihil transit, seipsum coarguit,
in seipsum inquirat: Accusatoris primum
partibus fungitur, deinde iudicis, nouissi-
me deprecatoris.*

4. Hinc igitur, vbi se totum excus-
sit, inuenta noua & singularia pecca-
ta, confitetur Christianus corā Deo,
nouis & singularibus se feriente feru-
lis. Sic David grauem sibi manum
Dei grauitate incumbentem ob pec-
cata sua sentiens, vt praestantissimus
humor ipsius in siccitates aestiuas con-
uerteretur, confessus ea est corā Deo,
veniamq; vna cum sanitate impetra-
uit. Psal. 32.

C A N O N.

In

In suis exploracione Christianus noua offendens errata, cum Dauide ultro & ingenue seruum coram Iehoua profite- tur, peccata sua declarat, scelus omne suū, sine omni dissimulatione detegit.

5. Denique preces effundit nouas prioribus omnibus ardentiores, suspiriis, atq; motibus spiritus plenas, ad veniam peccatorum, reconciliatio- nemque cum Deo, in Christo, obti- nendum.

Ita enim Dauid Psalmos quosdam, aut morbi, aut certe caussarum ipsius respectu composuit, vt 6. 32. 38. in qui- bus videris, quomodo in ærumnis, tū corporis, tum animi, fidem atq; resipi- scentiam renouarit, dum deplorat peccata sua, & veniam eorum a Deo exorat.

C A N O N.

Christianus ubi contra se confessus est Iehouæ peccata sua, quibus premitur, simul dat operam indefessam, vt ardentissimis precibus veniam eorum a Deo, cui pecca- uit, exoret.

57

SUSPIRIVM.

Doceme, sancte Deus, facere voluntatem tuam in quocunq; vite meae statu. Doceme recte morbum, quem immittis, excipere, ut eius causam inquirens intelligam & sancte iudicem, me meamq; vitam excutiam & recognoscam, cum Propheta: Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei; Et cum Davide: Confitebor aduersus me scelus meum Iehouae, ut mihi remittas noxam peccati mei. Ah pater, ne me furens arguito, ne me iratus corripito. Miserere potius mei viribus meis destituti, sana me aegrotantem, respice me, & libera animam meam, pro benignitate tua. Nec enim possis tui meminisse, qui sic mortuus, neque in sepulcro tuas laudes praedicare. Vbi fatigatus sum suspirando, collisus ac contusus rugio praefremitu cordis mei, Ne derelinquas me Iehoua, Deus mi, tum ne procul abesto a me: Festina in auxilium meum Iehoua salus mea. Amen.

II. Aeger porro Christianus vbi per se fidem & resipiscentiam suam susci-

tare

tare nequit, aliorum operam inuocat. Ut, cum paralyticus ipse Christum accedere non posset, alios adhibuit, qui lecto ipsum apportarent, cumq; propter turbam Domino appropinquandi non esset locus, detexerunt tectum ædium, funibusq; grabbatum demiserunt: Ita etiam opera fratrum, Christiano suum officium faciendi facultate destituito est imploranda.

Sed hic regulam apostolicam Iacobi expendamus. cap. 5.

Infirmatur quis inter vos, accersat presbyteros Ecclesie, & orent pro eo, ungentes eum oleo, in nomine Domini. Et oratio fidei seruetur laborantem, erigetque eum Dominus: quod si peccata commiserit, remittuntur ei. Confitemini alii aliis offensas, & orate alii pro aliis, ut sanemini: Multum enim ualeat deprecatio iusti efficacax.

Hic præcipiuntur canones bis bini. Priores duo spectant ipsum ægrum.

CANON. I.

57

Christianus incidens in morbum imploret auxilium. *Infirmatur quis inter vos, ait Iacobus, accersat presbyteros Ecclesie, nō modo Ecclesie ministros, verum etiam quosuis ætate prouectos, utpote usu, spiritu sapientie & precum præditos. Ergo*

Æger Christianus vocet ad se eos, qui verbi Dei scientia spirituque precum sunt donati. Heb. 3. Exhortamini alii alios, quoad appellatur dies hodiernus. Imo

Singulorum Christianorum est, ægros visitare fratres & sanctis solatiis recreare. Hinc & hoc ad ægrotum pertinet porissima:

Accersendi sunt ægro presbyteri quam primum. Vbi enim spiritualis medicus subsistit, ibi corporalis suæ artis primam experiri vim debet.

2.

Christianus morbo correptus confiteatur peccata sua. Iacobus enim ait: *Confitemini alii aliis offensas, & orate pro aliis.* Christianus itaq; ob peccatum a-

liquod

27

liquod ante commissum turbatus, vel a Satana agitatus, nulla tamen lege necessitatis coactus, sed iudicio suo permissus, libere onus suum in bonorum sinum deponat, qui propensi & expeditissimi sint, ad ipsum iuuandum & erigendum.

Posteriores duo spectant ipsos auxiliatores.

CANON. I.

Christiani sani & accersiti est orare super ægrotantem fratrem, (in præsentia eius oret cum eo, & pro eo, ægriq; tum personã, tum statum Deo commendet) Excitet itaq; Christianus vocatus, vel vltro veniens ad ægrum, ardorem precandi & sympathiam suam erga ægrotantem, precando Deum veniam peccatorum & animæ ipsius salutem.

2.

Oleo infirmum vngebat visitans, quæ vnctio erat externa ceremonia, quæ vna cum dono sanationis, iam non amplius exstat.

5

SUSPIRIUM.

Quocumq; tempore & loco, mi Deus, me
 ex hac mea statione euocare placuerit, meq;
 morbo mortis anteaambulone corripueris,
 si ipse non satis compositus ad te accedere
 non possum? Excita, quæso, mihi pios vi-
 cinos & amicos, qui me paralyticum pre-
 cibus suis ad thronum gratia tuae fideliter
 deportent, qui mihi promte veniant au-
 xilio, qui spiritu sapientia, precum & cari-
 tatis præditi, mihi pusillanimo sanctis suis
 solatiis addant animum & robur, ut fru-
 ens illorum consolatione, institutione &
 precibus, ipse te Deum meum quæram &
 inueniam. Et si me forte omnes homines
 destituerint suo auxilio & solatio, tuo mi-
 hi Deus ne desis, qui auxiliator es
 in tempore oportuno.

Amen.

7



C A P. XXXVII.

*Christianus egrotans, anima
sua cura affectus, eam ad-
uersus mortis metum
munit.*



Alter a pars præparatio-
nis in morbo ad mor-
tem, est fidelis cura sui-
ipsius.

*Præpara-
tionis al-
tera pars.*

Cura vero hæc est, tum *Anima*, tum
Corporis ægri.

CURA ANIMÆ est, qua Chri-
stianus, cum morbo luctans, animam
suam aduersus obuersantem immi-
nentis & minitantis mortis metum
roborat ac munit. Appropinquante
enim morte, terror mortis se magis
prodit, sensus omnes concutit, mo-
liens generare diffidentiam vel de-
sperationem.

A

Ad dispellendum vero ex animo mortis metum duo sunt Christiano agenda, multaq; meditanda.

Primo, Christianus æger hoc agat, vt non tam mortem ipsam, quam beneficia Dei, quæ post mortem percipienda venient, intueatur.

C A N O N.

Christianus mortem expectans animum suum non in cruciatibus & angoribus mortis, sed cogitationes suas omnes refert ad statum illum felicem, cui post mortem destinatus est.

S V S P I R I V M.

Domine Iesu, fac per spiritum tuum, paracletum meum, vt in summis angoribus te expectem & aspectem, vultum & oculos, a doloribus mortis auersos, ad te vitam, & resurrectionem meam conuertam, in te quaram, videam, accipiam eterna vitæ dulcedinem, degustem inter dolores corporis, pacem & letitiam spiritus tui sancti, meq; ad futura bona, que in cælis mihi reposuisti, cum animi desiderio, conse-

quenda

*quenda in te saluatore meo extendam. His
ob animi oculos versantibus, da ut omnia
mortis terriculamenta euanescant. A-
men.*

Secundo, Christianus morbo in-
crescente mortem in speculo non Le-
gis, sed Euangelii contemplatur. Se-
cundum enim Legem mors maledi-
ctio quædam est, & in barathrum exi-
tii præcipitatio. Secundum Euange-
lium autem ingressus est in cælum.
Lex mortem, tanquam mortem o-
stentat: Euangelium non velut mor-
tem, sed soninum eam considerat,
docens mortem morte Christi ita im-
mutatam, vt filiis Dei nequaquam sit
pro morte habenda.

C A N O N.

Mortis faciem si non in Mose, sed
in Christo intuetur Christianus, quos-
uis eius pauores, qui ægros infestare
solent, superare poterit.

S V S P I R I V M.

*Si me, Deus miserator, in morbo, vel in
agone mortis versantem seue mortis hor-*

ribilis species consternauerit, auerte, oro te per filium tuum mortis victorem, oculos & mentem meam ab umbra & spectro illius laruae, conuerteque fidem ac animum meum totum in faciem iucundam Iesu Christi filii tui, saluatoris ac redemptoris mei, qui factus caro & frater meus, ut me a morte liberaret, qui mortem pro me vicit & protriuit, ut nocere mihi non possit. Ipse se pro me sanctificauit, ipse suscitatus est propter iustitiam meam, ipse mortem absorpsit & aboleuit; ipsius mors mihi in morte vita sit. Amen.

Aegro-
tanti qua
meditan
da.

Meditanda aegrotanti multa sunt, praecipue vero haec quatuor.

I. Meditetur Christianus sancte Dei prouidam curam & potentem gubernationem, qua mors & praeuisa & ordinata est, & quidem unicuique sua. Iehouan. est, qui morte afficit, & in vitam reuocat. 1. Sam. 2. Nihilque euenit in Christi morte, praeterquam quod manus & consilium Dei prius definierat, ut fieret. Act. 4. Pili capitis nostri numerati sunt. Mat. 10. Imo ne quidem in terram cadit passer cu-

lus

lus sine patris nostri cælestis voluntate.

CANON.

Credat Christianus in ipso mortis
terrifico aduentu vnicuique Christia-
no Dei singulari prouidentia & con-
silio mortem suam esse præuisam &
decretam.

SUSPIRIUM.

*Mi Deus, qui omnia nosti, omniaq;
sancte moderaris in cælo & in terra, non
occulta tibi fuit vis mea, ex quo factus
sum in abdito, veluti in imis partibus
terra. Massam meam viderunt ocu-
li tui, & in libro tuo hæc omnia scripta
sunt. Non etiam tibi obscura est hora
& ratio mortis meæ, pilos capitis mei nu-
merasti, omnes dies meos dimensus es, mo-
dum & morbi & mortis meæ non igno-
ras. Tuo consilio natus sum, tua prou-
dentia vixi, tuo decreto moriar. Fiat san-
cta tua voluntas ad salutem meam, & ad
gloriam tuam. Amen.*

2. Meditetur Christianus insignes Dei
sui sibi factas promissiones. Apoc. 14.

Beati mortui in Domino; requiescunt a laboribus suis, & opera eorum sequuntur eos. Ioannis 5. Amen, Amen, dico vobis, qui sermonem meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam eternam, & in condemnationem non veniet, sed transiit a morte in vitam.

C A N O N.

Credat Christianus morti cū vita emēdata iunctæ beatitatem esse promissam cœlestem, & imortalem gloriam: Hac se sustentet promissione certa.

S V S P I R I V M.

Domine seruator Iesu fili Dei ad tuam promissionem & benignitatem per fugio, in tuis pollicitis, meritis & vulneribus spem colloco firmissimam, prehendo te manu imbellis fidei meæ, sta promissis tuis, & da quod promisisti, in te confidenti. Ni verbum tuum esset consolatio mea, perirem vtiq; in hac mea afflictione; sed verbo vita recreor. Promisisti præsentiam in vita & morte, promisisti post mortem vitam beatam, da Iesu, quod promisisti, adesto mihi

ad la.

*ad latus, nec discedas a me, aquas iam trans-
eo, mecum sis secundum verbum tuum, ut
per mortem in vitam ingrediar sempiter-
nam. Amen.*

3. Meditetur Christianus, qua mo-
riatur conditione, nempe creden-
tem in Christum mori, anima & cor-
pore Christo arctissime unitum. Etsi
igitur corpus ab anima diuellatur per
mortem, neutra tamen pars a Chri-
sto seiungitur. Coniunctio enim no-
stri cum Christo, quæ semel in hac vi-
ta cœpta est, in sempiternum durat.

C A N O N.

Statuat vere Christianus, licet ani-
ma sua corpus deserat, idq; in sepulcro
putrescat, ambo tamen in Christo,
ambo in fœdere, ambo in gratia Dei,
nihilominus quam ante mortem, es-
se; iterumque coniungenda, quando
corpus vi unionis cum Christo ad vi-
tam æternam est resurrecturum.

S V S P I R I V M.

*Siue viuam, siue moriar, tuus sum to-
tus, Domine Iesu seruator; Tu meus es, ego*

tuus sum, mors non separabit nos. Tecum participo & participabo anima & corpore, spiritu, cruce & luce. Caput meū es, membrum ego corporis tui. Ah ne patiare membrum a corpore tuo diuelli. Palmes ego sum in te vite mea. In te manere cupio, ne diuidat me a te mors instans. Dicam itaq; cum seruo tuo: *Etiam si ambulauero in valle umbrae mortis, non tamen timebo malum, quoniam tu mecum es. In te uiuo, in te moriar. Christe mane, nec ab aspectu te subtrahere nostro. Amen.*

4. Meditetur deniq; in morbi lucta Christianus certam singularem, & beneficam presentiam Dei apud omnes seruos suos aegrotantes & morientes. Ies. 43. *Cum transis per aquas, ait Dominus, tibi adsum, ne flumina inundent te. Cum ambulas per ignem, non ureris, & flamma non incendet te.*

C A N O N.

Certo statuatur Christianus propitiū Deum sibi cum morbo & morte colluctanti praesentem, tum mitigando dolores & cruciatus morborum atq;

mor-

mortis; tum inenarrabili quadã ratione intus spiritum nostrum consolando & confirmando: tum ministerio sanctorum angelorum ad animam suam excipiendam & in cœlum deportandam præsentium.

S V S P I R I V M.

Dominus mihi adiutor, non timebo, quid faciat mihi morbus & mors; Tu Domine mecum es, tu lenis dolores, ut vix sentiam eos, gloriari possum per te in hac afflictione mea, sciens quod afflictio tolerantiam efficiat, & hinc spes, quæ me non confundet. Gloriari, inquam possum, ubi sentio caritatem tuam effusam esse in corde meo per spiritum tuum. Per Christum redundat consolatio in vita & morte. Deficiat humanum auxilium & solatium: En mi Deus, tu ipse accedis ad lectum meum, meq; inuisis, & animam recreatione imples. En angeli tui administrant mihi, non prætereunt me; Ipsis da hanc animam in paradisum deportandam.

Amen.



C A P. XXXVIII.

Christianus correptus corporis sui curam, donec superest, non abiicit, sed pie gerit.

CURAM animæ excipit cura languētis corporis, qua Christianus valetudini & vitæ tuēdæ, tantisper, dum prorsus a Deo tollatur, dat operam.

Non enim quicquid libet de vita nostra licet constituere nobis: sed omne in ipsam ius atque potestas Deo ipsi seruanda, tanquam vitæ Domino, in cuius gloriam Christianis est & viuendum & moriendum.

C A N O N.

Christianus curiose curat donum vitæ suæ, donec id a se repetat vitæ auctor atq; imperator Deus.

S V S P I R I V M.

Tibi ego vivo, Iesu, tibi ego morior, iuris mei non sum. Tu das omnibus vitam, halitum & omnia. Quæ dedisti, repetes, ut tibi auctori restituantur. Mihi corpus & vitam largitus es, largire etiam conservandi & tuendi prudentiam, ut datam vitam sancte traducam, corpus, ut sacrum animæ domicilium & spiritus tui templum, sollicite custodiam, neq̄ per incuriam & iniuriam illud pessundem & corrumpam, sed tibi consecratum reseruem, donec reuertatur, te reposcente vitam, quam v-sui, non mancipio dedisti, pulvis, unde sumtus est. Amen.

Cura autem C O R P O R I S postulat tum Media, tum Mediorum legitimum usum.

Cura cor-
poris quid
postulet.

MEDIA dico non illa vetita, cuiusmodi sunt *Magica* omnia magorum & incantatorum omnium, quos certum est Diaboli opera vti. Satius fuerit Christiano ægro mori, quam talium hominum opera sanitatem recuperare. Anima enim, quæ se conuer-

*tit ad Pythones & ariolos, ut scortando
sectetur eos, utique opponens iratam fa-
ciem meam animæ isti, exscindam eam e
medio populi sui, dicit Dominus Leu. 20.*

Sed Media dico Remedia natura-
lia propinata a bonis Medicis.

C A N O N. I.

Christianus bonam & salutarē me-
dicinam non spernit, sed pro diuino
instituto, & singulari Dei benedictio-
ne agnoscit.

2.

Christianus corpori curam adhi-
biturus dispicit ac quærit doctos, usu
& experiētia probatos, religionis ve-
ræ, conscientia bonæ, curiosos & te-
naces Medicos, quibus corporis sui
curam & salutem committat.

S V S P I R I V M.

*Oculi mei in te respiciunt, Domine, tu
qui das escam omni carni, qui e terra me-
dicinam salutarem producis, aperi manum
tuam ditissimam, & imple cibum, potum,
& medicinam omnem, quibus utor tuo
beneficio, efficaci benedictione, ut media*

illa

*illa a te creata & concessa sint mihi a te
commoda alimenta & medicamenta per
Iesum Christum. Amen.*

Legitimum mediorum vsum mo-
derantur tres Canones.

C A N O N. I.

Medicina vsurus non corpus solum
ex medicorum præscripto, sed & a-
nimam suam præparato, submitten-
do se propter peccata manui Dei, eo-
rum venia serio petita, antequam vel
micam vel guttulam vllius pharmaci
perceperit.

Morbi enim a peccato tanquam
radice pullulant; hæc igitur primum
eruenta est, vt surculi tanto facilius
enecentur.

2.

Medico vsurus, vbi se, vt decet,
præparauit, medicinam sicut solet
cibum & potum, Dei verbo preci-
busque sanctificare debet. Verbo Dei
fiat certior, sibi licitam esse medici-
nam. Precibus Dei benedictionem
imploret & impetret.

3.

Vsurus Medicina medicinæ verum
vsum sibi propositum habeat, qui est
vitæ conseruatio, & prolatio vsque ad
metam suã, quæ tum attingitur, quan-
do natura, volente & iubente creato-
re, omnino tandem deficit.

SUSPIRIVM.

*Aegram sana prius mentem, o Deus,
quam corpus, ut sit mens sana in corpore
sano. Preparata per resipiscentiam & san-
ctificationem tuam sit anima mea parata
assumendis remediis, & tibi si gloriosum,
mibi vero salutare fuerit, non denegabis
corpori restituere valetudinem. Oro, Deus
pater, ut quicquid ad sanitatem recupe-
randam usurpauero, id tua benedictione
fiat sanctificatum & efficax. Tu nisi vires
dederis, exserere nullas poterunt remedia.
Ardeat per te lucernula vitæ meæ tanti-
per, dum volueris, & dum deficiat, & sit
mibi dies illa, qua exspirat, hora salu-
taris gratiæ. Amen.*

CAP.



C A P. XXXIX.

*Christianus ante mortem dat
operam sui cum proximis suis
reconciliationi, omnesque
res suas provide di-
sponit.*



Tertia pars preparationis
in morbo ante mortem
ad mortem est *studium*,
nullo modo nocēdi, sed
commodandi potius proximo.

*Studium
non nocet
de proxi-
mo.*

Hoc vero *studium* consistit in
duobus.

I. Ante mortem Christianus omni-
bus offensas omnes ex animo condo-
nat, ab omnibus venia vicissim ro-
gata.

*In quibus
consistat.*

Hoc enim Dei mandatum est: *Re-
mittes fratri in te peccanti* (inquit Do.

minus) non septies tantum, sed septuagies septies. Declina a malo, & fac bonum; inquire pacem, & persequere illam. Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est. Remittite & remittetur vobis. Diligere proximum debemus, sicut nos ipsos. Paulus ait: Estote alii in alios benigni, misericordes, condonantes vobis mutuo offensas, sicut & Deus in Christo condonavit vobis. Eph. 4.

SUSPIRIVM.

Ne patiare, mi Deus, ne patiare me animo irreconciliato ex hoc migrare mundo. Anima n. quæ iram & odiū contra proximum alens hinc discedit, non ad cælum, sed ad tartara concedit. In sonet semper auribus meis hac vox Christi: Remitte debita proximo, si tua tibi vis remitti. Et: Ita & pater meus cælestis faciet vobis nisi remiseritis suo quisq; fratri ex cordib. vestris offensas eorū. Da animū ab omni liuore & odio immunē, ut corpus & spiritū hunc in morte, tibi Deo meo, velut sacrificiū purgatum & sanctificatū offerre possim. Amen.

II. Ante mortem Christianus res

suas

suas omnes accurate, qua fieri potest, disponat, & munus sibi a Deo commissum (si aliis est praefectus) quoad eius etiam fieri potest, expeditum a morte relinquat. Ergo

Christianus
suis
res omnia
mortem
disponat.

CANON I.

Magistratus ante mortem provideat, ut Respublica ante mortem suam in statu relinquatur Pio & Tranquillo: quod fiet, si effecerit, ut doctrina sana ac pura cum pietate conseruetur; si item effecerit, ut iustitia civilis cum pace externa vigeat.

2.

Ecclesiae Christi minister ante mortem, quantum in se est, procuret, ut Ecclesiae, quae ipsi commissa est, status sit factus tectus.

3.

Patrisfamilias est, in familia sua utiliter omnia disponere, priusquam moriatur. 2. Reg. 20. *Mandata da domui tuae, quia morieris*, dicebat Ezechiae Iesaias.

Vt autem a morte Christiani pa-

Familias
v: recte
ordinan-
da.

trifamilias sit recte ordinata familia,
duo sunt præstanda.

1. Testamentum nisi ante factum
sit, in toto pio consilio condatur, quo de
bonis suis rite constituatur, & hoc i-
pso odia domesticorum, & dissidia
heredum anteuertantur & præcidan-
tur.

2. Præcipiat serio suis domesticis, vt
religionem Christianam, seu doctri-
nam scriptis Prophetarum & Aposto-
lorum traditam discant, fide ample-
ctantur, facto & obsequio testari &
exprimere satagant. Quo nomine
commendat Deus Abrahamum. Gen.
18. *Agnoui eum præcepturum filiis suis
post se, vt obseruent viam Iehouæ, exer-
cendo iustitiam eius.*

PRECATIO.

*Tuo, sancte Deus, spiritu opus est omni-
bus bene se ante mortem ad mortem præ-
paraturis in omni vitæ genere & statu. Da
igitur, vt magistratus, hanc sibi tuam re-
gulam propositam habeat, Psal. 2. Et nunc
Reges intelligite, erudimini, qui iudicatis*

terram.

terram. Seruite Domino in timore, & exsultate ei cum tremore. Osculamini filium, ne quando irascatur, & pereatis. Da etiam, ut ministri Ecclesie tue, qui inter funestos versantur, & assidue iis consolandis preesto sunt, ipsi bene sint ad mortem parati, in omnibus recte versati, ne dum aliis predicant, ipsi reprobi existant, ne dum aliis referant fores caeli, iisdem ipsi eliminentur. Fac Deus omnes pastores pie uiuendo & beate moriendo protagonistas & typos omnibus suis morituris.

Da denique omnibus nobis, ut rebus recte dispositis, stemus lumbis circumcinctis veritate, & induti thorace iustitiae, calcetis pedibus preparatione Euangelii pacis, assumpto scuto fidei recipiamus galeam salutis, tueamur nos gladio spiritus, & omni tempore per spiritum precemur, & in precibus immoriamur.

Amen.



C A P. XL.

*Christianus eleuatus ad Deum
mente in fide Iesu Christi
moritur.*

Constitu-
tio Chri-
stianus in
agone
mortis
quid

HActenus de præparatione
Christiani ante mortem
ad mortem dictum est:
Supereft eiusdem bona
in agone mortis constitutio, quæ est
sancta & religiosa animi ad Deum
eleuatio in ipsa cum morte lucta.

Constitutio hæc morituri constat
membris tribus.

1. F I D E, in qua moriendum. 2.
D E S I D E R I O & O B S E Q V I O, cum
quo moriendum 3. A N I M Æ in
Dei manus depositione, per quam
moriendum.

I. C H R I S T I A N V S in fide Iesu
Christi, vt vixit, ita moritur, cum

mo-

moriens seipsum quantus quantus, ex toto animo Dei singulari gratiæ, amori, misericordiæ in Christo Iesu, sicuti verbo veritatis est reuelata, committit ac mancipat. Etenim in morte exserendæ & exercendæ fidei maxima se offert occasio, cum terror mortis inuadit, cum amici, opes, voluptates, sensus externi, omniaque subsidia terrena moriturum destituunt.

C A N O N.

In mortis agone fides Christianum extra seipsum quodammodo ponit. Efficitque vt seipsum omnino exuat & abneget, solatiis & præsiidiis rerum terrenarum omnibus abiectis, vniuersa vi & impetu cordis, innitatur puræ putæ Dei gratiæ, cui se totum dedit in Christo. Hinc Theologus: *Homines in morte summe sunt Christiani.*

S V S P I R I V M.

*Auxilium meum in nomine Domini,
qui fecit cælum & terram: Iam calcanda*

mihī vīsa lethi, ne me desere, Deus mi, ne te deseram, credo quidem Domine, sed succurre imbecillitati meae, per te possum omnia, viuere & mori. Potentia tua perficiatur, in infirmitate mea. Omnia mihi sunt relinquenda, ipse mihi sum totus abnegandus, renuntiandum est omnibus externis. Firma fidem, qua me totum tibi tradam, in te solo acquiescam. Filii tui ego sum mancipium, ipse me suo redemit sanguine, in ipso uiuo, in ipso morior, huius ero in vita & in morte, ipse est caro, de carne mea, & ego caro, de carne eius: frater meus est. En igitur filius tuus ego sum, in dilecto tuo & unigenito filio. Si filius, certe heres, & quidem coheres Iesu Christi. Fac me breui potiri caelesti gloria. Amen.

Fides autem Christiani moribundi, tum Roboranda, tum Exercenda est.

Roboranda est, subinde verbo gratiosae Dei promissionis, quae, si speciatim animae luctanti applicatur, robur fidei comparatur. Dicendum itaque cum Dauide, Psalmo 119. Recordare

verbi

*Fides
Christiana
ut roboranda.*

verbi cum seruo tuo habiti, de quo spem fecisti mihi. Hæc est consolatio in afflictione mea; quod sermo tuus viuificat me. Et Psal. 73. Deficiente carne mea & animo meo, rupes animi mei, & portio mea Deus est in seculum.

C A N O N.

Quicumq; mortem appropinquãtem, eiusq; aculeos ignitos animum compungentes adurentesq; persentiscit, eum fidei oportet viuę oculos in Iesum Christum crucifixum & resuscitatum coniiciat. Hac via per medias mortes in vitam æternam perrupturus est.

S V S P I R I V M.

Prout Moses extulit serpentem in deserto, ita te extolli oportuit filium hominis, Iesu Christe, ut quisquis credit in te, non pereat, sed habeat vitam æternam. Credens in te fidei oculos totumq; animum ad te extollo, tu vnicus meus es seruator in vita & morte. Miserere mei, cum morte luçantis, & eripe me tandem, Tu, o Iesu, qui vita & resurrectio mea es. Mortuus

es pro me, ut viuerem tecum: libera igitur
animam hanc quam lauisti sanguine tuo,
& cælo liberatam ex morte infer, ut te,
& tuam gloriam videam beatus. Amen.

Fides
Christia-
ni ut ex-
ercenda.

Exercetur fidei synceritas viuis a-
ctionib. qua se prodit, quarum haud
postrema est ardens inuocatio. Sic
Iacob aduentantem mortem per sen-
tiscens subrigere sese conatus est, cõ-
uerso vultu, baculoque infirmitatis
caussa innixus Deum adorauit. No-
uerit autem Christianus, *suspiria, gemi-
tus, eiulationes pii Christiani, non minus
efficaces coram Deo esse preces, quam quæ
suauissimis maximeq; sonoris vocibus pro-
feruntur.*

CANON.

Dei inuocatio constat motu cor-
dis: vox & verba, externus nuntius &
symbolum eius sunt: Vnde non vox,
sed cor cordi est Deo. Psal. 10. *Deside-
rium mansuetorum exaudiuisti Iehoua.*
Imo & ipsæ lacrymæ piorum in aurib.
Dei sunt vociferationes.

SUSPIRIVM,

Dixi-

Dixisti, Iehoua, audi verbum tuum:
Quia iste me complectitur amore, liberabo
eum, & exaltabo eum, quoniam agnoscit
nomen meum. Inuocat me, itaq; responde-
bo illi. Cum ipso sum in tribulatione, eripiã
eum, & glorificabo eum. Longitudine die-
rum satiabo eum, & ostendam ei salutem
meam. Agnoscis promissum tuum gratio-
sum, credidi, propter quod iam loquor.
Amo te, ideo compello fidem tuam. A-
gnosco nomen tuum, libera tandem & ex-
alta me. Inuoco te patrem meum in nomi-
ne filii tui: Exaudi inuocantem secundum
verbum tuum. Adesto mihi ad dexte-
ram secundum verbum tuum. Eripe me in
vineam tua laborantem secundum verbum
tuum. Glorifica misere iam afflictum se-
cundum verbum tuum. Longitudine die-
rum in terra viuentium me satiato secun-
dum verbum. Osterde mihi faciem tuam,
ostende salutem tuam, & dimitte ser-
uum tuum in pace secundum
verbum tuum. A-
men.



C A P. XLI.

*Christianus obsequio promptus
ad nutum Dei, cum desi-
derio æternæ vitæ mo-
ritur.*



RÆTER fidem precib.
viuam Christianus Deo
suo probat filiale (*ut ita
dicam*) OBSEQUIUM
suum cum ardenti desiderio vitæ æ-
ternæ.

Absq; parato obsequio, absq; amo-
re & desiderio veri liberi ad parentem
suum vocati non accedunt: Vnde &
absq; his mors nostra Deo parenti no-
stro non placet.

C A N O N. I.

Vere Christianus libens, paratus,
& cupidus est ad emigrandum ex hoc

_____ mundo

mundo, vbi voluerit & iusserit Deus vitæ suæ Dominus; non obloquitur, non obnititur ipsi, quocunq; vel tempore vel loco ipsum ad se reuocare videatur. Dicit itaq; Christianus cum Christo suo: *Abeatur hoc poculum pater a me, verum non mea, sed tua voluntas fiat.* Vt ergo in vita vniuersa, sic in perferenda morte, præstat Christianus Deo suo sanctam & promptam obedientiam.

S V S P I R I V M.

Scio, Domine, te vitæ & mortis Dominum, & me mei iuris, & hic me mei ruris non esse. Siue enim viuam siue moriar, sum non meus, sed Domini mei. Nihil mihi hic vel feritur, vel metitur, sed tibi. Tibi inquam debeo obedientiam, viuens & moriens. Si fieri igitur potest, pater, abeat poculum hoc amarum a me: At non mea tamen, sed tua fiat voluntas. Fac me promptum & discedendi cupidum, & iube, quancunq; & ubicunq; volueris, euoca me, ex his miseriis, & obsequium tibi præstabo. Beneplacito tuo in mortis huius terroribus

*me totum subiicio, nihil responso nec hisco,
sed tantum supplico. Fac mecum secundum
misericordiam tuam ad salutem meam.
Amen.*

CANON. 2.

Vere Christianus amore & deside-
rio vitæ æternæ, gaudii & gloriæ æter-
næ ardens, libens & lubens Deum se
euocâtem e miseria audit & sequitur.

Etenim credens vitam æternam,
nempe *beatitudinem, gloriam & felici-
tatem ineffabilem*, qua corpus & anima
eius glorificata in Deo in omnem æ-
ternitatem fruetur, in ipso mortis ac-
cessu, ad illam felicitatem intimis su-
spiriis adspirat & summo ardore appe-
tit. Et vt captius liberationem, æger
sanitatem, pauper opes, cœcus visum,
orphanus parêtes exoptat: Sic Chri-
stianus in angorib. mortis beatitudi-
nis suæ statum desiderat. Nouit n. in
vita æterna fore compensationem o-
mnis miserię & laborũ, quos in hac æ-
rumnosa vita exantlauit. Nouit vitam
illam sibi a Deo promissam & omni-

bus

bus, qui Christum diligunt. Ideo vt mercator terreni alicui^o lucelli caussa, huius vite molestias subit, & vt rem faciat, res & vitam periculis multis exponens impendit: Sic & Christianus æternæ vitæ ardore flagrans, omnes vitæ molestias & calamitates, omnes mortis cruciat^o & dolores, Christiana patientia, fortiter deuorat & tolerat, sperans se hic captiuū, ibi liberum; se hic ægrū, ibi sanū; se hic cœcū, ibi videntē; se hic mœstum, ibi hilarē; se hic senē, ibi iuuenem; se hic peccatorē, ibi iustum & sanctum; se hic mortalē, ibi iūmortalē; se hic miserū, ibi beatissimū euasurū. Proinde ait in corde suo: *Veni Domine Iesu, veni, & noli tardare.*

S V S P I R I V M.

Sicut ceruus a venatorib. diu multūq; agitatedus, fontes avidissime glocitās requirit: ita miser ego, mortis doloribus confectus toto pectore te Deum meum requiro, & suspiro. Sitit anima mea te viuum Deum. Eheu, quando tandem miserrimo mihi dabitur, vt te in vita æterna vi-

deam a facie ad faciem? Quando erit, o Deus, ut deportatus in sinum Abrahae, paradysum caelestem, domum patris mei, & gaudium Domini mei ingrediar, & fruuar gaudiorum satietate? Esurio & sitio requiem, refrigerium, pacem, felicitatem promissam, quae nec oculis, nec auribus, nec animis cuiusquam capi potest. Ad hanc felicitatem si omnes mundanae opes conferantur, sunt mera mendicitas: omnes res terrena & splendores, quos hic vidi, ad caelestem tuam lucem collati, mera sunt tenebrae: Omnes haec voluptates, nausea; omnis vita terrena mors est. Affer mihi, o Deus, ad te suspiranti gloriosam hanc felicitatem. Cupio dissolui, & tecum esse Iesu Christe, veni Domine Iesu, veni & libera animam meam e mortis laqueis, & transfer liberatam in vitam caelestem. Amen.

C A P. XLII.

*Deniq; Christianus animam
exhalaturus eam Deo sub-
misse commendat.*

CH R I S T I A N V S luctans
cum morte, iam iam elucta-
turus fide, obsequio, & desi-
derio ardens in manus Dei sui, tan-
quam potentissimi & fidelissimi cu-
stodis, commendat & deponit ani-
mam suam e corpore abiturientem.
Idq; exemplo Christi, qui cruci affi-
xus in extremas angustias, instante
iam tum animæ corporisq; dissolutio-
ne, adductus, his verbis patrem affa-
tus est: *Pater in manus tuas commendo
spiritum meum*, quo dicto, & capite in-
clinato exspiravit. Nec aliter se gere-
bat Stephanus, qui tantum non con-

*Christia-
nus ani-
mam suã
moris
us Deo
commen-
dat.*

fectus lapidibus, Domine Iesu, ait, suscipe spiritum meum.

CANON.

Christianus in fide obedienter, commendata Deo anima sua, beate moritur.

Cui igitur animus est in fide moriendi, in fide iam viuat necesse est.

Cui animus est obedienter & cupide mori, & se Deo iudici sistere beandum, obsequenter & pie viuat, oportet.

Cui cordi est in mortis angustiis se diuinæ misericordiæ, & manui se totum committere, is in vita hac mane surgens, & vesperi decumbens se animam & corpus suum Deo commendare ac tradere discat, ac hodie ita viuat, ac si fit cras animam exspiraturus, & iudici Deo sistendus.

SUSPIRIUM.

Domine Iesu pro me mortue & resuscitate, ultimum verbum tuum in cruce, sit ultimum verbum meum in hac luce.

Si

Si amplius ore fari non possum, exaudi ultimum cordis suspirium. Doce me per spiritum tuum in hac vita in fide vivere, ut possim in fide mori; doce me sanctum obsequium, sum aeternae vitae desiderio ardentem coniungere, ut obsequiose & cupide ad aeternae vitae gaudia hinc migrare exsultem: Doce me hic totum tibi litare & dedere, ut iam iam morti vicinus tibi animam meam commendem, & in mortis accessum ad te Deum meum confugiam. Ah ne pudeam, pro misericordia tua libera me. Tunc inclina ad me aurem tuam, celeriter eripe me, sis mihi rupes firma, & domus munita ad servandum hanc animam meam. Propter nomen tuum deduc & dirige me. Tu robur meum, tu magna potentia mea es.

Ecce tua hanc animam depono in brachia verax.

O me, Deus qui liberasti millies.

Traditurus vero Christianus animam suam in manus Dei, certo novit, primum posse, deinde etiam velle Deum animam suam in caelum recipere,

ibidemq; ad nouissimum vsque diem
feruare.

Vt autem sit de his duobus factus
certior, necesse est, vt præditus sit spi-
ritu sancto, qui conscientiaë persua-
deat, se esse redemptum, iustificatum,
sanctificatum, & suo tempore per
Christum glorificandum. Proinde
addit Dauid in Psalm. 31. verbis suis
commendatitiis: *Tu enim Domine re-
demisti me.* Hæc ita sciens tuto Deo a-
nimam suam commendare aufit.

SUSPIRIUM. I.

*O pater cælestis, tot amoris, fidei, & be-
nignitatis tuæ pignora a te accepi, cur tibi
diffidam, aut in media iam morte despe-
rem? Quia ego tibi & patri meo, in ex-
tremis periculis constitutus ex animo con-
fidam, cum certo sciam, te qui nunquam
hactenus me deseruisti, ne in ipso quidem
mortis agone, cum vel maxime tuo auxilio
indigebo, me deserturum, sed feliciter cæ-
ptis optatum quoq; finem additurum esse.
Tu redimes animam meam de omni angu-*

stia,

stia, eamq; aeternae immortalitatis gaudiis
cumulatissime perfundes. Amen.

2.

Glorifica me gloriose Deus, qui me vo-
catum iustificasti & sanctificasti, ne me an-
xium mors a caritate Christi separaret. O-
uicula tua sum, Iesu fidelis, ne patiare me
eripi ex manibus tuis. Me tibi etiam re-
dimendum pater dedit. Scio me amare te,
inflammata ardentius animum, ut te in vi-
ta & morte ardeam complecti. Vbi tu es,
ibi esse datos tibi vis. Sum tibi datus. Cre-
do enim in te. Credo item, vitam aeter-
nam: Credenti dabis, quod eidem promisi-
sti & obsignasti. Nolo a te discedere, ne me
reiice. Christe tuus sum, non alius.

Bernh. Finis praesentis vitae cohaeret
cum principio vitae aeternae.

Ambros. Mors metuenda non est, eo
quod sit finis peccatorum: vita desperan-
da non est, quae resurrectione reparatur.

Nazianz. Hoc nobis praestat longius
vitae spatium, ut plura mala quotidie par-
tim videamus, partim sustineamus, par-
tim ipsi perpetremus. Per mortem vero ex

Z

peccandi periculis in non peccandi securi-
tatem constituimur.

Cyp. Ad immortalitatem morte
transgredimur: nec potest vita aeterna suc-
cedere, nisi hinc contigerit abire. Non est
exitus sed transitus, & temporali itinere
decurso ad aeterna transgressus.

Philip. Mel. Noli, o anima, metue-
re mortem. Liberaberis enim, 1. a peccato,
2. ab omnibus arumnis. 3. a tyrannide
Diaboli. 4. Arabie maleficatorum Theo-
logorum. Et venies in Dei conspectum,
&c.

Babylas, Reuertere in requiem tuam
anima mea, quia benedixit tibi Deus. Tu
enim o Deus eripuisti animam meam a
morte, oculos meos a lacrymis, pedem meum
a lapsu. Indesinenter coram Iehoua am-
bulabo in regione viuentium.

Amen.



C A P. XLIII.

*Christianus relicta vita Na-
tura, post vitam gratiae per
mortem beatam ingredi-
tur vitam gloriae æ-
ternæ immorta-
lem.*



*u ζωταν vbi secuta est εὐδα-
νασία; porro εὐδανασίαν in-
sequitur ἀδανασία, beata
& gloriosa IMMORTA-*

LITAS in vita æterna.

Christianus enim viuit vitam du-
plicem; primo Communem, deinde
Christiano Propriam.

1. COMMVNIS vita est, VITA
NATVRÆ, quæ Paulo dicitur *A-*
nimalis ab anima naturali præstantio-
re hominis parte, quam Christianus

*Immorta-
litas gla-
riosa.*

*Vita Chri-
stiani du-
plex.*

1. *Com-
munis.*

cum non Christianis promiscue viuit, vegetatur, sentit & intelligit.

3. PROPRIA est, quæ solis vere Christianis conuenit, estque duplex: *Vita Gratia, & vita Gloria.*

Vita gratia.

I. VITA GRATIÆ, est ζωια, de qua supra, quam Christianus in hoc mundo per spiritum sanctificantem ex gratia Dei regenitus viuit, quæ Paulo dicitur *vita Dei*, non tam, quia a Deo est, vt reliquæ, quam quia Deus in suis viuit, eamq; præcipit & approbat. Dicitur & *vita Christi*, quia Christus in suis per fidem & spiritum suum viuit. Hæc vita Christiana est.

Vita gloria.

VITA GLORIÆ est, qua anima Christiani rursus corpori suo adiuncta vitam viuet æternam. Hæc vita est gloriosus status, in quo Christianus post resurrectionem mortuorū, Christo capiti suo plenissime coniunctus, Deum in cœlis cum angelis ineffabili modo cogniturus, eoq; præsentem fruiturus, & in æternū celebraturus, summum bonum sibi a Christo partum

corpore

corpore & animo illius imagini, qua homo est, conformis futurus est.

Interim **G L O R I F I C A T I O** Christiani, & perfecta eius transformatio in imaginem filii Dei, suum habet tum Initium, tum Complementum.

Glorificatio.

I N I T I V M fit in **M O R T E**, quæ ipsi in Christo somnus est, in quo fit separatio corporis & animæ: **C O R P O R I S** quidem ut putrescendo fiat capax gloriæ: **A N I M Æ**, ut plene sanctificata immediate post separationem in cælum transferatur.

A N I M A itaq; Christiani defuncti in cælum recepta ibidem manet usq; ad vltimum iudicium, partim laudans Deum, partim consummationem regni gloriæ, plenamq; felicitatem expectans & petens. *Apoc. 5. item 14. & 6. &c.*

C O M P L E M E N T V M glorificationis fiet in vltimo iudicio per resurrectionem mortuorum, quam immediate sequetur ipsa æterna in cælis beatitudo.

Resuscitati tum Corpus, tum Anima glorificabitur.

CORPVS Christiani erit immortale. *Fiet quippe ex mortali immortale. 2. erit incorruptibile. Seritur enim corpus corruptioni obnoxium, excitatur autem incorruptibile. 3. erit spirituale: Ex animali n. fiet spirituale non substantia, sed conditione seu qualitate, & spiritus donorum participatione. 4. Erit potens. Ex infirmo enim, & variis calamitatib. morbis, & dolorib. obnoxio, firmum, validū, impatibile & agile fiet. 5. Erit perfectū; Ex deformi n. sordido & manco fiet formosum, purgatum & membris suis plenum. 6. Fulgebit gloria, claritate & decore. Gloria quippe cælesti, & lumine diuino tanquam pallio vestietur.*

ANIMA Christiani lucebit gloriosa Dei imagine, 1. Mens eius erit plena sapientia & cognitione Dei, quam ipsi Deus immediate reuelabit. 2. Voluntas plena erit iustitia sanctitate & perfecta dilectione Dei & proximi, intenta semper in Dei sui obse-

quium

quium. 3. Affectus omnes erunt purissimi, neq; vnquam turbabunt animum. 4. Omnium deniq; animæ facultatum perfecta erit *εὐταξία*.

C A N O N.

Resurrectio corporum nostrorum spem gignit indubitata[m] futuræ felicitatis: Estq; Christiano solatiū aduersus *omnes calamitates, persecutiones, morbos, contemptus; aduersus dolorem, & terrorem mortis imminentis.*

Sicut ægrotum nihil efficacius erigit, quam spes consequendæ pristinæ valetudinis: sic moriturum nulla consolatio magis afficit, quam certioratio, quod corpus illius rursus sit e terra emersum, & æternam vitam cōsecuturum.

Atq; vt nauta in tempestatibus ad anchoras confugit, vt in vndis natans aliquid arripit, quo se sustentet & liberet: Sic Christianus in agone arripit certā sui corporis resurrectionē, seq; in viuam spē, eius certitudine erigit, inquiens: *Scio, q̄ redemptor meus vi-*

uit, & in nouissimo die resuscitabit me, & pelle mea circumdabit, & in carne mea videbo Dominum meum, &c.

SUSPIRIUM.

Etsi, o Deus, mihi sit moriendum; tamen scio animam meam statim, postquam e corpore excesserit, in cælum emigraturam, & ibi in gaudio corporis resurrectionem esse expectaturam. Credo itaq; carnis meæ resurrectionem secundum verbum tuum. Tu, Christe Iesu, ultimo die mortuum meum corpus excitabis, & animam hanc cum corpore rursus vnies. Proinde hoc meum corpus, quocunq; tandem modo moriatur, resurrecturum est, & conforme futurum glorioso corpori tuo, & anima mea in ultimo iudicio vnietur, vt simul æterna vita perfruantur. Ego viuo, inquis, & vos viuetis. Vita mea es, viuifica me secundum verbum tuum: da vt letus audiam vocem tuam, vt prodeam in resurrectionem vitæ, & vnuse benedictis, patris tui possideam regnum ab initio tuis paratum, & cum electis tuis, eam in vitam æternam. Amen.

RESURRECTIONEM carnis ipsa *ἀθανασία* & immortalis beatitudo in coelis sequetur, qua Deus ipse erit omnia in omnibus.

Αθανασία hæc constat tum Vita æterna, tum Gloria completa.

VITA ÆTERNA perfruetur Christianus gaudens communionem cum Deo, & Deus ipse per Christum agnum ipsi Christiano vita erit.

CANON.

Spiritus Dei in Christiano glorificato, omnium illorum, quibus hic naturaliter ad sustentationem vitæ huius eget, vicem supplebit, a quo immediate viuificatus in æternum manebit.

SUSPIRIUM.

Hæc est voluntas patris tui, qui te mihi dedit, Domine Iesu, ut omnis qui te filium videt, & in te credit, non pereat, sed habeat vitam æternam. Aperi oculos mentis meæ, ut te filium Dei redemptorem meum videam, cognoscam; apertos oculos ulterius radiis tuis collustra, ut te penitus in-

trospiciam, & fidei brachiis te sponsum
meum amplexer. Tu Iesu, mea vita es
hic per fidem, in altera vita totus eris vi-
ta mea; gloria Dei illustret me, lucerna
mea sit agnus; Tu agnus es ille, illumina
& vivifica me per inhabitantem spiritum
tuum, ut vivificatus a te, tibi æternam
vivam vitam. Amen.

Gloria completa gaudebit in cœ-
lis Christianus & mirabili excellen-
tia optime se habebit.

Primum enim faciem Dei nem-
pe gloriam & maiestatem intuebitur.
Apoc. 22. Videbunt faciem eius, & no-
men eius in frontibus ipsorum erit. Psal.
17. Ego in iustitia videbo vultum tuum,
satiabor, cum expergiscar similitudine
tua.

CANON.

Christianus in vita æterna, relecta
facie gloriam Domini intuens, in
eandem imaginem transformatur, a
gloria in gloriam tanquam a Domi-
ni spiritu. 2. Corinth. 3. Videbit eum

sicut

sicut est, 1. Ioannis 3. & quidem a facie
ad faciem videbit.

S V S P I R I V M.

Cor mundum crea in me, o Deus; beati
enim mundo corde, quoniam videbunt te
Deum. Videre te desiderat anima mea in
vita aeterna, ubi remota nube & inuolu-
cris verbi & sacramentorū & sublato velo
ante sanctū sanctorum pendente, reuelatā
faciem & gloriam tuam, intimasq; sapien-
tia & iudiciorum tuorū abyssos perspiciat.
Ostende igitur Domine, mihi misericordiā
tuam, & salutare tuum da mihi. Ostende
mihi salutare tuū & sufficit mihi. Qui n.
videt illud, videt & te, quia ipsum in te, &
tu in ipso. Hæc est autē vita aeterna, ut co-
gnoscam te verum Deum & quē misisti Ie-
sum Christum. Itaq; nunc dimittes seruū
tuum Domine, cum viderint oculi mei sa-
lutare tuum, Iesum, Dominum meum, qui
est super omnia benedict⁹ in secula. Amen.

Secundo erit Christo suo similis
Christianus, id est, Iustus sanctus & in-
corruptibilis, gloriosus, honorabilis, cla-
rus, pulcher, fortis, potens, agilis, 1. Ioan. 3.

Carissimi nunc filii Dei sumus, sed nondum patefactum est, quod erimus; Scimus autem fore, ut cum ipse patefactus fuerit, similes ei simus; quoniam videbimus eum sicuti est. Phil. 3. Qui transformabit corpus nostrum humile, ut conforme fiat corpori suo glorioso, pro efficacitate, qua potest sibi subiicere omnia.

CANON. I.

In vita æterna corporis & animi Christiani partium & facultatum functio & actio *p̄fectissima & facillima*: ab erit peccatum ab utroq̄; , in erit spiritus Dei utriq̄;.

2.

In vita æterna Christianus *ἀντὶ τῆς χάριτος* habebit plenam vitam beatam: Ipse enim *Schaddai* erit tunc omnia in omnibus: & glorificatus Christianus viuet Deo, & de Deo, & satiabitur vbertate domus eius.

3.

Vita Christiani tum erit *sanctissima*, neq̄; aliud quicquam, quam solius ve-

ri per

ri Dei per Christum, gloriam & celebrationem spectabit.

4.

Vita Christiani ibi erit *incundissima*, quia omnibus suis votis fruetur. Summa iucunditas erit in conspectu summi boni.

5.

Participabit beatus Christianus *natura divina*, hoc est, particeps erit immortalitatis, gloriæ, virtutis, sapientiæ, iustitiæ, adeoque imaginis Dei.

6.

Christiani corporis erit summa in cœlis *pulcritudo*, & *maiestas*, qua reddetur simile corpori Christi glorioso.

SUSPIRIUM.

Quando erit, o Deus, ut peccatum tam ab animo, quam a corpore meo tollatur? quando erit, ut totus immunis sim a morte & ab omnibus calamitatibus? O pater transfer me in sanam aternitatem & in aternam sanitatem. Da ut in perpetuum vivam a te & in te, ostende te mihi in atern-

na luce, tuaq; sapientia seipsam mihi ostendat. Sufficiat mihi gratia tua, ut tibi de te viuam. Satiame ab ubertate gloriae tuae, & torrente voluptatis tuae pota me. Tu sanctus es, fac me sanctum, ut te videam; fac sim sine ruga tandem & macula sanctus & inculpatus. Indue me illis albis sanctorum tuorum vestimentis, eo me deduc, ubi quicquid amabitur, aderit, ubi nihil desiderabitur quod aberit. Deniq; me similem angelis tuis, & Christo redemptori meo effice, ut te celebrem, in secula seculorum. Amen.

Tertio Christianus possidebit regni caelorum hereditatem, imo caelum ipsum & terram renouata seu noua. I. Pet. 1. Transferemur in hereditatem, quae nec perire potest, nec contaminari, nec marcescere, nobis in caelo reseruatam. Mat. 25. Tu dicet Rex eis, qui ad dexteram ipsius erunt: Venite benedicti patris mei; Possidete regnum paratum vobis a iactis mundi fundamentis. Apoc. 5. Et fecisti nos Deo nostro reges & sacerdotes, & regnabimus super terram. Apoc. 21. Qui vicerit, possidebit

sidebit

sidebit omnia; Et ero ipsi Deus, & ipse erit mihi filius.

C A N O N.

Christianus in regno cœlesti Rex erit, & possidebit omne bonum. Possessor erit omnium bonorum, perfrueturque ipso summo omnium bono. Beatitudo enim est status omnium bonorum aggregatione perfectus.

S U S P I R I U M.

Satiabor, O Deus cum apperuerit gloria tua: Torrente voluptatis tue potabis me. Fluminis impetus letificabit civitatē Dei: Delectationes in dextera tua usq; in finem. Voca. si vis, trahes me ad te, ut intrem in gaudium Domini mei; intrem ad perfruemendam eadem beatitudinē, qua tu Dominus meus perfrueris. O quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit & se inclinat anima mea in atria tua. Beati, qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt, & aternū laudare te ex animo desidero. Amen.

Vitæ & gloriæ fructus duplex capiet. Primus est G A V D I U M cœleste &

lætitia sempiterna, qua perfundetur beatus Christianus. Psal. 18. *Facturus es, ut experiar semitam vitæ; satietatem gaudiorum ante faciem tuam, amœnitatem ad dexteram tuam, in æternum.* Psal. 36. *Vberrime explentur pinguedine domus tuæ, & de torrente deliciarum tuarum bibendum das eis. Quandoquidem penes te est fons vitæ, in luce tua fruamur luce.*

C A N O N.

Christianus glorificatus summam & puram voluptatem & lætitiâ percipiet, tum corpore, tum anima ex præsentia Christi, & assiduo Dei sui intuitu. Psalmo 17. *Satiabor cum expergiscar, vultu tuo in æternum.* Gaudium hoc perpetuum & inenarrabile spiritus sanctus in Christianis excitabit, fouebit, & nemo tollet illud ab illo.

S V S P I R I V M.

Peto iterum a te Domine, ut omnia hic mihi amarescant, ut tu solus dulcis appareas animæ meæ, qui es dulcedo inestimabilis, per quem cuncta amara dulcia fiunt.

In his

In his terris ad me regnum tuum adue-
 niat: Iustitiam & reconciliationem fide
 accipiendā expeto; pacē pie, sensum recōci-
 liationis tranquillitatemq; in te acquie-
 scentem esurio: gaudium in spiritu sancto,
 nempe consolationem victricem mortis &
 omnium calamitatum sitio, gaudium hoc
 hic incoa, quo placido & erecto animo in
 te Deo servatore meo gaudere, & in eru-
 mnis etiam gloriari possim; in altera vero
 vita perfice, ut ibi gaudens gaudeam in
 Domino, & exultet anima mea in Deo meo,
 qui indumentis iustitiæ & salutis me in-
 duit. Vides, Deus, quomodo hic diuexer,
 scio me olim triumphaturum de hostibus
 meis. Destinasti enim mihi ex mera gra-
 tia societatem cum omnibus beatis, con-
 uersationem cum sanctis angelis; perfun-
 des me amore perfectō tui & proximi, sum-
 mam stabilis concordiam & pacem. Præ-
 parasti mihi etiam omnia corporis & ani-
 mi bona, qualia nec oculus vidit, nec auris
 audiuit, nec cor hominis cogitavit. Meum
 est credere vitā aternam, tuum est, pater,
 credenti creditam & speratā dare. Amen.

Secundus fructus est perfectus Dei cultus, qui constat laude Dei, & gratiarum actione sempiterna. Apoc. 21. *Et audiui vocem magnam de caelo dicentem: Ecce tabernaculum Dei est, cum hominib. & habitabit cum eis; Et ipsi populi eius erunt, & ipse Deus cum eis erit, Deus ipsorum. cap. 5. Dicentes voce magna: Dignus est agnus ille mactatus, qui accipiat virtutem, & diuitias, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. cap. 11. Dicentes: Gratias agimus tibi Domine Deus omnipotēs, qui es, & qui eras, & qui venturus es; quia adeptus es potestatem tuam magnam, & regnum iniuisti.*

C A N O N. I.

In caelo Christianus glorificatus, Deum colet per Deum, & in Deo. Non ibi erit templum. Apoc. 21. *Nec templum vidi in ea. Dominus enim Deus omnipotens templum illius est.*

2.

In sempiternum vita gloria & laetitia perfruens Christianus, laudabit

Deum.

Deum. Tempus quippe sine vlla intermissione ibi quotidianum erit. Apoc. 7. Ideo sunt ante thronum Dei, & seruiunt ei die ac nocte in templo eius, & qui insidet throno habitabit cum eis.

ἐπισημειώσῃς.

Benigne Deus in vita aeterna, per tuam gratiam ab omni malo vacuus, omni bono affluens, & Diabolo, angelis eius, & omnibus impiis dominans, te Deum meum pro omnibus beneficiis laudabo & celebrabo cum sanctis angelis & omnibus beatis canendo: Dignus es Domine, qui accipias gloriam, & honorem, & virtutem: quia tu creasti omnia & propter voluntatem tuam sunt & creata sunt. Dignus est agnus ille maectatus, qui accipiat virtutem & diuitias, & sapiētiam, & fortitudinē, & honorem, & gloriam, & benedictionē. Dignus es agne, qui accipias librum, & aperias eius sigilla: quoniam maectatus es & redemisti nos Deo per sanguinem tuum, ex omni tribu, & populo & natione: Et fecisti nos Deo nostro Reges & Sacerdotes, & regnabimus inter-

ra. Ei qui insidet throno & agno, benedictio & honor, & robur in secula seculorum. Quoniam gratia & pax est nobis. Qui est, & qui erat, & qui venturus est: Et a septem spiritibus, qui in conspectu throni eius sunt, & a Iesu Christo, qui est fidus ille testis, primogenitus ille ex mortuis, ac Princeps regum terræ, qui dilexit nos, & lauit nos a peccatis nostris per sanguinem suum: & qui fecit nos reges & sacerdotes Deo & patri suo: Ei etiam ut uni vero Deo & patri filio & spiritui sancto sit gloria & robur in secula seculorum. Amen. Apoc. 4. 5. 1. &c.

Alia Celebratio Dei.

Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam, propter benignitatem tuam, propter fidem tuam. Celebrabo te, Iehoua, quia etsi iratus fuisti mihi: tamen auersa ira tua consolaris me. Ecce Deus fortis, salus mea: confidam ac non expauescã. Nam robur meum & carmen est Iah Iehouah, qui fuit mihi saluti. Hauri aquas cum gaudio e fontibus huius salutis. Idcirco dicam: Celebrabo Iehouam, proclamabo no-

men

men eius, notas faciam in populis actiones
eius: commemorabo editum nomen eius.
Psallam Iehouæ, & psallite mecum, quoniã
excellenter fecit: notum fiat istud in tota
terra. Claram edam vocem, & cantabo,
Claram edite vocẽ & cantate mecum, qui
habitabis Sione. Magnus esto in medio
nostri sanctus Israelis. Clangite Iehouæ o-
mnes incola terre, colite Iehouam cum læ-
titia: Venite in conspectum eius cum can-
tu. Agnoscite Iehouam esse Deum: ipsum
effecisse nos (non autem nos ipsos) populum
suum, & gregem pastus sui. Ingremini
portas eius cum gratiarum actione, atria
eius cum laude: gratias agite ei, benedicite
nomini eius. Nam bonus est Iehoua, in se-
culum est benignitas eius: Et in genera-
tionem ac generationem fides eius. Benedic
igitur anima mea Domino, & ne obliui-
scere ullius beneficiorum eius. Qui condo-
nat omnes iniquitates tuas, qui medetur
omnibus morbis tuis, qui vindicat a fouea
vitam tuam, qui circumtegit te benigni-
tate & miserationibus suis. Misericors &
gratiosus est Iehoua, longanimus & mul-

cus benignitate. Benedicite Iehoua omnia opera eius, in omnibus locis dominationis eius. Benedic anima mea Iehoua dicens; Salus nostra a Deo nostro est insidenti throno & agno eius: dicens; Amen. Benedictio & gloria & sapientia, & gratiarum actio, & honor, & potestas, & vires Deo nostro in secula seculorum. Amen. (Psalmo 115. Ies. 12. Psalm. 100. Psalm. 103. Apoc. 7.)

RATIO EXCIPIENDI ADVENTANTEM MORTEM.

Nunc finem vitæ meæ, adeoq; meæ laboriosæ peregrinationis adesse sentio, & imminens lethū letus excipio. Tempus est, ut tandem lassus cura, fessus cursu, ex hoc infido, tenebricoso, & sordido diuersorio educar, & hoc pauperis tugurij congestū cespite sulmen relinquens, latissimos patrios fines, quorum pinnas iā non ita procul apparere prospicio, ingrediar. Hic est dies meæ

migra-

migrationi, nouæ meæ natiuitati, meo triumpho consecratus. Hoc supremi congressus, quo omnib. laborib. omnib. periculis, omnibus curis, omnib. culpa & pœna malis perfungar semel certamē. Iam mea ἀπολύσις, & portus meæ nauigationis se aperit, iam prodit aurora præcurrrens solē iustitiæ meæ, reduciturū me ex his spinosis, in quibus per totam huius vitæ noctem oberrans, varie laceratus fui uepretis, in viam cæli. Gaude anima mea, imo non mea sed Christi, cuius pretiosissimo sanguine redempta es, anima, latere in Deo salutari tuo. Egredere cū Loth ex Sodoma, nec respice. Transi per mare rubrum, ut euadas ex insectantiū unguibus, & in terram lacte & melle fluentē intres. βλέψον ἄνω χροσίων δὲ ἐπιλήθεο πάντων. Cælo nata es, cælo redempta, cælo sanctificata, cælo electa es. Πολίτευμα tuum in cælis est, ibi tibi iam pridem letissima sedes parata est, ad eam respice, & ἀσμένως, depone immunda & multis modis molesta carnis sarcinā, a sinum ad diuini mōtis radicem relinque. Iam tibi Abrahæ sinus, ut Abrahæ semini panditur, iā tibi cælū utpote cū Christo ex

baptismo ascendenti aperitur: Iam tibi ut
 palmiti Christo per fidem inserto, & Chri-
 sti sanguine purificato, paradisu referatur.
 Sentis difficultatem ἀναλώσεως, sustine pau-
 lulum, momentum est, quo te Deus expe-
 diet, perfer & obdura, præstat semel &
 breui laborare, & quod ad extremum ta-
 men persoluum est debitum, mature
 persolvere, quam diutius in hoc mundo af-
 fligi. Non morieris, sed viues & narrabis
 opera Domini: Tu vero corpus, cui curan-
 do, sustentando, fouendo, reficiendo, nimis
 multum temporis impendendum fuit, quod
 lubentius ad meliora collocassem, tu cuius
 pondere anima mea nimis sæpe ad terram
 depressa minus libere se ad cœlestia attolle-
 re potuit, tu, inquam, quoniam Dei stat
 sententia, ut de terra sumtum in terram
 redeas, idq; tibi toties per tot morborum
 genera & casus, quorum interuallum tua
 demolitionis non πᾶσις erat, sed ἀνάπαισις,
 fuit denuntiatum, da te quieti, intra in
 cubiculum tuum, claude ostium tuum super te, ab-
 scondere modicum ad momentum, donec trans-
 eat indignatio. Tua in sarcophago corru-

ptio

ptio erit tui purgatio, redibis gloriosum, seminarius corruptibile, incorruptibile resurges: seminarius in ignominia, cum gloria resurges. seminarius infirmū, validū resurges. Gestasti imaginē terreni, gestabis imaginē cælestis, & in carne tua videbis faciē Dei, satiaberis cū euigilaueris ad similitudinē eius. Certa tibi est proposita resurrectio: et iā si dissipatū toti rerū naturæ amittereris, tamen Domino tuo, qui est os ex ossib. tuis, & caro de carne tua, & cui insertū es, nunq̄ amitteris. Ipsi te euocanti nihil obstabit, nihil quo minus reddaris, impediet. Qui Lazarum iam colliquatum, & ex putredine vermescentē vno verbo ex sepulcro producebat viuum & vegetum, in te quoq̄ excitando virtutem suam ostendet. Cruciaris nunc & torqueris, modicum est, iam iam liberaberis. Cuperet tota rerum natura congemiscens, & ad dōnōu finem suum videre, cur tu quietē recusares? Nunc pergat mors & soluat, quod ut solueretur, fuit compactū. Non mihi pestis erit, sed *εὐεχόμενος*, sed pacis, sed letitia nunquā peritura & premiū. Lubens tenebras oculis corporeis obrepen-

tes feram, ut eternam lucem videam. Tu modo, o salus mea fili Dei, qui eruisti me de inferno, & saluū fecisti de manu mortis, si unquā mihi adfuiisti, nunc in hoc supremo vitæ meæ mortalis articulo laboranti ades. Ad te animū, & palmas, & cū illis languidum & agre iā spiritū trahens, cor attollo, te inuoco, te desidero, Rex meus, & Deus meus, qui descēdisti in hanc carnis miserā, ut ego in celi regiā ascenderē, qui ipse in ara crucis animā egisti, ut ego in te exspirās reuiuiscerē, ne derelinquas me Domine Deus meus, ne discesseris a me, festina in auxiliū meum Domine salutis meæ. O verbū æterni patris, fac ne ex pectore meo elabatur aut euanescat verbū illud: Hæc est vita æterna, ut cognoscant te verū Deū, & quē misisti Iesum Christum, i. e. unctum omnium in se credentiū Sacerdotē & Regē: & verbū illud qui latroni animā inter dentes tenēti dixisti, in me spiritu S. tuo paraclete ob-signa: Hodie mecū eris in paradiso. Fac ut placide ex hoc diuersoriolo animula mea se expediat, & ultimus meus spiritus in sanctissimū, *σπλάγχχνιστον* cor tuū effusus ti-

bi, qui

bi, qui vita es, dedicetur, tibi hauriatur, ti-
 bi hic postremus vita mea mortalis actus
 claudatur. Da ut ex Aegypto per mare ru-
 brum incedēs, per te, & in te victor perrū-
 pam. In manus tuas cōmendo spiritū meū,
 redemisti me Deus veritatis. Reuertere a-
 nima mea in requiem tuā, quia Dominus
 benefecit tibi, quia eripuit animam meā de
 morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a
 lapsu. Placebo Domino in regione viuorū.
 Certamen bonum certavi, cursum meum
 consummaui, quod superest reposita est mi-
 hi corona iustitiae, quam reddet mihi Do-
 minus in illa die. Iam quando placet bale-
 na Ionam exspuat. Munde vale, sat mihi
 fecisti negotii, quare alium, quem posthac
 adoriaris. O dulcis cæli regia mea patria
 salue, &c.

Vale munde; migrat ad Christum anima
 mea, spiritus meus in paradisum, sepelire
 corpus mortuum peccato.

O homo.

Mors certa est, incerta dies, modus horaq; mortis:

Consulat ergo anima, qui sapit, ipse sua.

En igitur.


O mac mens sursum, mortalem dirige cursum,

Mens oblata soli, suspice regna poli.



TRIAS
CORONARVM
GLORIÆ CHRIS-
TIANÆ.

Christiano Lectori salu-
tem a Christo.



*Virtus laudata, Lector
Christiane, crescit, &
immensum gloria cal-
car habet. Descriptus
est Christianus, præ-
scripti Canones, vota
& suspiria inserta: Calcar subdere, animis
est animus. Inflammare eum, qui potero
vehementius, quam propositis ante oculos,
laudis & gloria Christianæ coronis, e sacro-
rum oraculorum paradiso decerptis? Re-*

cognosce igitur mecum maxima illa bona,
 quibus præ ceteris veri Christiani potiun-
 tur, & studio fidei & vitæ Christianæ, ad
 has gloriæ coronas consequendas, ardebit
 animus. Vide mihi, quanta sit dignitas,
 magnitudo, maiestas & felicitas hominis
 Christiani, & maximas inde percipies vo-
 luptates. Mundani magnam capiunt ob-
 lectationem fucatis elati laudibus: quin
 pius animus solido perfunderetur gaudio,
 cum se veris & a Deo profectis laudibus or-
 nari, & diuina gloria coronari agnoscit?
 Vide mihi splendorem gloriæ Christianæ
 admirabilem, contende ad eum studio san-
 cto, & insignes senties utilitates. Mirum
 quippe in modum fides tua confirmabitur,
 ubi cognoueris tantam gloriæ Christianis
 promissam & concessam dignitatem. Spes
 tua corroborabitur summi incrementis ex
 tam admirabilis magnitudinis gloriæ pia
 consideratione. Non parua fiet caritatis
 accessio, ubi summam caritatem, qua nos
 Deus dignatur, perpenderit. Maiore cu-
 ra in studio & studio Christianæ pietatis
 progredieris. Ipse denique Peccator felicis-
 simum

simum

simum piorum statum cognoscens, suam
 vero miseriam deprehendens, abiecta peccati
 servitute, ad sancte vivendum exsuscita-
 bitur. Huc trias hac spectet, Tuque me-
 cum eadem eo sancte fructuere, & vale.



CORONA

GLORIÆ CHRIS- TIANÆ PRI-

M A.

Flos Glorie primus.

Christianus ab æterno Deo præcognitus, &
 in adoptionem filiorum Dei præ-
 destinatus est.



Eternus Deus, Christia-
 num, quem præsciuit &
 prædestinavit confor-
 mē fieri imagini filii sui,

singulari ratione, ab æterno, mente complexus, in vtero gratiæ & misericordiæ suæ concepit, & in æternæ vitæ libro descripsit, vt tãdem, vbi eum per regenerationem pepererit, & in filium adoptauerit, æterna hereditate donaret. 1. Pet. 1. *Præcogniti quidem ante mundi constitutionem: manifestati autem nouissimis temporibus.* Eph. 1. *Deus pater prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum, in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ.* Gloria hominum est, ab oraculis & signis ante natiuitatem eorum editis laudari: Gloria itaq; Christiani est, tam insignibus prælagiis ornari, quod sit æterna cognitione præscitus, æterna vocatione vocatus, æterna prædestinatione destinatus, æterna Dei mente comprehensus, in æterno misericordiæ diuinæ vtero conceptus, & ab æterno, regno æterno donatus.

C A L C A R.

Quam felix est Christiani conditio, quem Deus ex innumerabili improborum

sua

multitudine, per misericordiam suam, nõ
ex operibus, qua facturus sit, oculus gratia
sua praudivit, vocatione sua secreuit, in li-
bro vitæ inscripsit, beatitudine donauit.
Quam vero miserabilis est impij non resi-
piscantis conditio, qui quidem a Deo est co-
gnitus, at non probatus, & licet sit voca-
tus, non tamen gratia Dei efficaciter præ-
uentus & donatus, sed in multitudine re-
iectorum relictus, ob peccata & increduli-
tatē damnatus, æternis reseruabitur cru-
ciatibus. Nouit Dominus viam iustorum,
vide sis iustus: at iter impiorum peribit.
Cave impiis adnumerere.

2.

Christianus ab æterno Deo, singulari &
constanti amore diligi-
tur.

Diligit æternus Deus dilectione
perpetua virum Christianum, in eaq;
dilectione cõstanter perseuerat, sum-
mumq; bonum, quo fruitur, ipsi cu-
pit, & vt id assequatur, nihil non ef-
ficat.

Bonitatis ratio est, vt sese cum aliis

comunicet. Deo nihil melius. Quod nam igitur Christiano bonum non cupiet? Deo nihil ditius; quid deerit igitur, quod tribuat? Deo nihil potentius: quid impediatur, quin impertiat? Gloria Mundi est, ab hominibus. & quidem magnis, amari. Gloria Christiani est a Deo Opt. Max. semper amari. Sic Deus Christianum dilexit, ut eum ante mundi constitutionem amplexus sit; ut antequam nasceretur, & boni quicquam non fecerit, cum dilexerit, & ex impiorum perdita multitudine selegerit; ut eum suae naturae consortem efficere voluerit; ut pro ipso unigenitum filium suum dederit, & quomodo cum eo non omnia? ut eum ad se vocatum illuminet, iustificet, sanctificet glorificet. Quis igitur eum non amet, quem Deus tantopere diligit?

CALCAR.

O beatum hominem, quem Deus, quod nil melius, nil ditius, nil potentius, diligit: De manu Dei eripi hic potest nunquam. Fuge itaque impietatem, quae Deo & homi-

nibus

nibus odio est. Deo nihil dignius, amore Dei nihil prestantius, in hunc fac influas, ne effluas. Felix pii, & misera impii conditio, tantum inter se distant, quantum a Deo amari, & odio haberi, disiuncta sunt.

3.

Christianus ex excellentissimarum causarum coitione admiranda & supernaturali generatur.

Christiani Pater est Deus æternus, Opt. Max. ditissimus, potentissimus. O quanta huius est parentis præstantia!

Non est Christianus ex sanguinibus, neq; ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri; sed ex Deo natus, Deum patrem suum vocat.

Mater eius dicitur sancta, orthodoxa & catholica Ecclesia, facunda Christi sponsa. Illa, enim, quæ sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater nostra. Gal. 4. En dignitatem; nasci ex matre sponsa Christi. Semen ex quo generatur, est sanctum, impollutum,

incorruptibile, viuificum, purum, diuinum, nēpe verbum Dei fidei mixtum, & spiritu fœcundatum. 1. Pet. 1. *Lauacrum regenerationis est baptismus, per renouationem spiritus sancti. Tit. 3.* Hinc in Christiano existit diuina diuinitus gratia, & participatio quædã diuinæ nature, per diuinum afflatum, quo tandem perueniat ad claram Dei visionem, ad æternam beatitudinem, statum scilicet omnium bonorum aggregatione perfectum. Hæc qui intelligit, Christiani præminentiam non potest non demirari.

CALCAR.

Contemplare sæpius admirabilem Christiani generationem, quæ ex tam diuinis constat causis, quæ corruptibili semine non est fœdata, carnis voluntate non maculata, viri libidine non polluta, sed tota munda & sancta est. Cogita vero, quam sordidi, abiecti & miseri sint illi, qui ex patre diabolo, & matre, Babylonica meretrice, ex verbo & suggestionem impuri Daemonis, tanquam ex semine nascuntur ad æternos

cruciatuſ: qui peccatorum cæno ſordidati, natura hominis amiſſa, beluis peiores facti, imaginem Satanae referunt, adeoq; filii Belial dicuntur. Caue abominationẽ hanc, & ſummo conatu ad nobilem filiorum Dei generationem adſpira, vt Deo non Diabolo potiare.

4.

Christianus regenitus diuinæ naturæ participatione ad diuinum & ſupernaturalem ſtatum euahitur.

Per ſpiritualement generationẽ Christianus ad imaginem eius, qui fecit & refecit ipſum regenitus ſtatum quendam ſupernaturalem & diuinũ conſequitur, vt non iam ſit ex mundo mundanus, nec ex terra terrenus, ſed ex cælo cœleſtis, ex Chriſto Christianus: & non tantũ ob humanam naturam humanus, ſed per participationem diuinæ naturæ, diuinus. 2. Pet. 1. *Deus maxima & preſcioſa iuſtis promiſſa donauit, vt per hæc efficerentur diuinæ conſortes nature.* Christianus itaq; vere Dei genus eſt, diuinumq; genus iactare poteſt. Act. 17.

CALCAR.

Christi insistas vestigiis, ut verus sis Christianus, & a sordido & diabolico, in quo vixisti haectenus, statu, ad participandam dignitatem & gloriam divinã, a Deo adsciscaris, fias Dei gratia admirabilis hominibus, terribilis demonibus, honorabilis angelis, Deo patri, filio, & spiritui sancto carus. Horre statum impiorum: Cave, ne prolabare in statum calamitosum, & natura tua indignum, ne fias omni creatura inferior, Demonibus subiectus, angelis ingratus, Deo exosus.

§.

Natalis Christiani maximo coelorum gaudio concelebratur.

Nascitur peccator, & in terris magna est lætitia: nascetur Christianus, & nullum in cœlo existet gaudium? Nascitur inimicus Dei, & gaudet mundus: Nascetur filius Dei, & cœlum non dabit lætitiæ signum? Exultat terra natiuitate carnali, non exultabit paradifus natiuitate spiritali? Auspicatus ille dies, quo Christianus

ex

ex Deo nascitur, cuius natiuitati assistunt angeli & obstetricantur; dum nascentē suscipiunt, gratiæ diuinæ panis inuoluunt, in cunabulis collocant, vagientem consolantur, a maleficio custodiunt. Gaudium est in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente. Gaudi sunt angeli in natiuitate Christi, gaudent item in natiuitate Christiani. Felix itaq; natalis hominis pii, non execratione, sed benedictione digna.

C A L C A R.

Quisquis es, qui voles afferre angelis beatis gaudium in cœlo, fac nouus gignaris homo, filius Dei, ex semine verbi Dei. Infelicissimum vero ducas diem illū, in quo is nascitur. Cuius generatio est de terra Chanaan, pater Amorrhæus, mater Cheraa; in cuius ortu non est præcisus umbilicus eius, nec est lotus aqua in salutem, nec sale aspersus, nec pannis inuolutus. In hac natiuitate tristatur cœlum, mæret Ecclesia; contra vero infernus letatur, gaudio exsiliunt demones. Pereat hic dies, & re-

pleatur amaritudine. Cave homo, ne cælitibus tristitiam, inferis vero letitiam peccando parias.

6.

Christianus ex semine natus diuino veram nactus est nobilitatem.

A vera virtute, vera nascitur nobilitas: Ex vnctione gratiæ spiritus sancti, qua solum boni Christiani inunguntur, oritur vera nobilitas. Quis audeat ignobilem appellare eum, qui sanctorum ciuis, domesticus Dei, & heres est vitæ æternæ? Quis hunc, cuius generatio est legitima, pura, impolluta, diuina, ex qua genus ducitur diuinum? Quis eum, quem Deus filium, Christus fratrem, angelus conseruum appellat. Si Deus, Christus & angeli sunt nobilissimi, utiq; Christianus est nobilissimus.

CALCAR.

Suspice nobilitatem Christiani, & virtutes eius per fidem affectare. Si vis vere nobilis esse, vere sis Christianus nomine & re, vita & morte. Ex Deo nascitur, a Deo

nobi-

nobilitatus. Ait enim. Quicumq; me honore afficiet, eum & ego honore augebo: Qui vero me contemnunt, sunt ignobiles. Vide ne sis filius Satanae, seruus peccati, mancipium carnis & Mundi: alioqui ignobilis & sordidus eris.

7.

Christianus summis ornamentis virtutis & honoris est praeditus.

1. Ignatius bonos Christianos vocat, Deiferos, Christiferos, spiritiferos, quod Deum, Christum & Spiritum in corpore suo portent.

2. Alius ait, Christianum esse eum, qui vera scientia, qua Deus cognoscitur; Et fide, qua ei creditur; Et obedientia, qua eius mandata servantur, praeditus est.

3. Christianus est, homo fidelis a Deo per semen incorruptibile, & spiritum sanctum ad imaginem filii sui regeneratus, cuius doctrinam ore confitetur, & vita profitetur.

4. Christianus est, Dei filius & Ecclesiae, ex spiritu sancto, & verbo Dei genitus, Dei gratia, & afflatu diuino donatus.

actus Dei spiritu, faciens voluntatem patris sui a Christo in quem credit annuntiatam.

5. Christianus est, qui de Deo & Christo sancte cogitat, Deum vult. Deum sapit, & quicquid agit, Dei causa agit: Diuino hic est lumine collustratus & diuino amore accensus.

6. Christianus est is, qui est in Deo & Christo, & Deus & Christus in ipso, ac proinde vnus spiritus cum Deo, ita vt ipse in Deo, & Deus in ipso viuat.

Talis Christianus est pupilla oculorum Dei, est palma florens, est Cedr^o plantata in domo Domini, est arbor plantata iuxta riuos aquarū, quæ misit ad humorem radices suas, vt nō timeat æstus, cuius folium est viride, nec decidet, nec desinet dare fructus tempore suo.

CALCAR.

O homo, vide ne sis fons sine aqua, nebula turbidib. agitata, cui caligo tenebrarū reseruatur. Ne sis vti lunaticus, qui male patitur, qui saepe cadit in ignem & aquā,

quem

quem spiritus malus apprehendit, elidit, dissipat, discerpit. Horrescis quoties quempiam a Dæmone agitari cernis: Magis horresceres, si cerneres quantum malū animæ inferret peccatum conscientiam vastans. Fuge, quantum potes, impietatē, quæ nescit ubi corruat, funibus peccatorum constringitur, lætatur cum male fecit, panem iniquitatis comedit, & vinū impuritatis bibit. Prenta gloriam potius Christianam, posthabito omni contemptu mundi.

7.

Christianus honorificis titulis præ ceteris est maxime illustris.

CHRISTIANVS. 1. Est vere DOMINVS, qui sibi & mundo, & rebus, quæ in eo sunt, dominatur. 2. Est DVX INVICTVS, qui mundum vincit, dæmonas expugnat, & victoriam de omnibus suis inimicis reportat. 3. Est PRINCEPS, quia Dei filius, & æternæ vitæ heres est. 4. REGIA & IMPERATORIA fulget MAIESTATE, quia se regit, suis af-

fectibus imperat, oleo diuino inunctus, virtutibus est illustris, diuina gratia consecratus, diuino refulget splendore. 5. Est **BEATISSIMVS PONTIFEX**, quia est iustificatus & sanctificatus, offertq; orationum hostias Deo gratissimas. 6. Est maxime **REVERENDVS**, quia habitaculum est Dei viuentis & sacrarium spiritus sancti. 7. Est **SERENISSIMVS**, quia mundatus est sanguine filii Dei, spiritu Dei illuminatus, ab omni perturbationum caligine alienus, &c.

CALCAR.

Titulis si vis excellere, sis verus Christianus. Vis vocari Dominus, & alius tamen, & quidem peccato seruis? Vis dici Dominus, & tibi ipsi dominari non potes? Satius esset te dici velle miserum, nec errares, si te cinerem, puluerem & firmum appellares. Ah de mundo mundanus es, de terra, terrenus, de luto lutulentus; ex fimo formatus, firmum gestas. Capias titulos, capta gloriam nominis Christiani, ut

& sis

*& sis & dicaris Christianus Christo ui-
uens ac moriens.*

8.

Christianus est viua imago viuentis Dei.

Qui Christiani celsitudinem aliquo modo vult cognoscere, consideret, quanta sit immensi numinis dignitas & maiestas: & præstantiam eius, qui est viua quædam imago & similitudo viuentis Dei aliquo pacto, intelliget. Finge tibi pictorem aliquem forma & arte insignem, tres tabulas pingentem: in quarum prima, sua vestigia solummodo depingat; in altera se totum adumbrata quadam ratione delineet: in tertia vero se integrum ad vnguẽ artificiose effingat, & quasi alterum se exprimat. Ex his secunda melius, quam prima; & tertia multo melius, quam secunda repræsentat artificem. Primæ imagini creaturas ratione carentes, secundæ homines fide & pietate carentes, tertiæ sanctos & pios Christianos similes diceres. O quam gloriosum est, *imaginem & simi-*

litudinem Opt. Max. Dei referre, cui sit honor perpetuus.

CALCAR.

Nascere ex Deo, homo, ut parentem Deum imagine sancta referas, iustitie & sanctitatis sis amator, sectator, custos, & factori tuo non eris absimilis; ipse siquidem clamat: Sancti estote, sicut ego sanctus sum. Multum fac distes ab impio, qui cum sit ex Diabolo, cum caractere bestie sit notatus, cum peccatorum sordibus sic coopertus; licet quandam infuscatam Dei imaginem videatur habere: tamen non est vere Dei similis, quod in Christiano est gloriosum.

9.

Christianus est pulcerrima & dilectissima Christi sponsa.

Anima hominis cum Dæmone peccando est fornicata; ignobilis, turpis & infamis euasit. At Deus, cum eam ad se reuocat, sibiq; connubio sancto iungit, inexplicabilem quandam consequitur dignitatem. Hinc Iehoua. Ier. 3. Tu fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me, & ego suscipiam te. Iam saltē

VOCA

voca me dicens: *Pater mi, dux virgini-
tatis mee tu es. Estne Regina gloriolissi-
ma, quæ summo Regi nuplit, de qua
dici potest: Astitit Regina a dextris tuis
in vestitu deaurato, circumdata varietate.
Rex regum suæ sponſæ ait Oſeæ 3. De-
spōsabo te mihi in iustitia, & iudicio, & in
misericordia, & miserationib. Et sponsabo
te mihi in fide, & cognosces me Dominū esse.*

Christus huic dicit: *Sicut lilium inter
spinas, sic amica mea inter filias. Ecce tu
pulcra es, amica mea, &c. Vide Cantic.*

CALCAR.

*Surge, qui dormis, ex morte peccato-
rum surge, ut non amplius sis turpis for-
nicator, sed mundata Christi sanguine, spi-
ritu eius sanctificata, sis formosa amica &
dilecta sponsa Iesu Christi. Ne dixeris cum
impiis. Oſe. 2. Vadam post amatores
meos, qui dant mihi panes & aquas meas,
&c. Alioqui tibi dicet Dominus: Nunc
reuelabo dedecus tuum, in oculis amatorū
tuorum, Vir non eruet te de manu mea, ces-
sare faciam omne gaudium tuum. Mun-
dus, caro, Satan sunt impiarum anima-*

rum scortatores; ne, quaso te, ducas inimicos esse amatores, qui continenter te perdere student, dantq; tibi panem doloris, & aquam amaritudinis. Peristi, ubi te turpitudini horum trium hostium exposuisti.

10.

Christianus est viuum tabernaculum uiuentis Dei.

Templum Dei estis vos, ait Apostolus Corinthiis. 1. cap. 6. *Vos estis templum Dei viui.* 2. Cor. 6. *Christianus itaque portat Deum in corpore suo.* 1. Cor. 6. *Deus in ipso, tanquam in suo templo & habitaculo, inhabitat.* O fortunatum hominem, cuius anima est sedes Dei, est quasi quoddam Dei caelum, in quo suam gratiam & gloriam explicat.

CALCAR.

Quanta amplitudo, maiestas, & gloria est Dei in tabernaculo Christiani pectoris habitantis & operantis. Animaduerte igitur te Dei templum esse, caue ne qua ratione illud polluas, ne habitantem in te Deum peccatorum fetore offendas.

Honora

Honora potius viuum Dei templum, nec illud viola, alioqui grauissimam lues pœnam: teq; Deus disperdet. Impius est tanquam templum profanatum, pollutum, & abominationis plenum, ubi non Deus, sed Daemon, ceu in impuro stabulo, habitat.

II.

Christianus est quoddam sacrarium spiritus sancti.

An nescitis, inquit Apost. 2. Cor. 6. quod membra vestra sunt templa spiritus sancti. In hoc sacrario Christianus, dona gratiæ suæ, charismata, & diuitias gloriæ suæ collocat.

Hic sanctæ fidei lux, spei splendor, caritatis ignis emicat & fulget. Hic viget spiritus sapientiæ, consilii, fortitudinis, pietatis & precum, quibus anima Christiani, quæ spiritu Dei agitur, exornatur, ditatur, consecratur.

CALCAR.

Fabricauit Deus hunc mundum quæse templum, in quo hominem, tanquam sacerdotem, a quo coleretur, collocauit, res

vero sacras, dona cœlestia, & diuitias gratiæ & gloriæ suæ in Christiani anima, tanquam Sacrario ponit, & auget adhuc. En pretiosum thesaurum, quem pius gestat in corde suo. Vide sis ciuitas Dei, sancta Ierusalem, quam elegerit Deus habitationem sibi, in qua renatus sit homo interior. Caue sis impius, qui est instar Domus illius, ex qua egreditur, & in quam reuertitur malus spiritus, assumtis secum septem nequioribus. Caue inquam sis sentina impuræ spiritus, in qua sint scoria mundi, turpia peccata.

12.

Christianus est thesaurus & pretium pretiosissimum.

Inæstimabilis est thesaurus Christianus, cuius tantus est valor, quantum est sanguinis Christi filii Dei pretium: Qui sanguis est pro ipso, in redemptione ipsius effusus. 1. Pet. 1. Non corruptilibus auro & argento estis redempti, de vana vestra conuersatione paterna traditionis, sed precioso sanguine agni immaculati Christi. En maximum pretium,

tium,

tiū, a maximo Redemtore, qui emtę rei, & pretii vim optime cognouit est datum. En quanti fecit Deus hunc thesaurum, pro quo inueniendo & recuperando ipse proprio filio non pepercit, sed pro ipso tradidit eum in mortem.

C A L C A R.

Melior est vnus timens Deum, quam mille filii impii. Eccl. 16. Siquidem a filio Dei tanti factus est, vt caussa ipsius homo fieri, & sanguinē effundere voluerit. Christi sanguine es emtus: thesaurus es magnus, custodias ipse, nec te viola aut corrumpe. Ne sis ex iis, qui Christi pretium pro se datum parui pendunt, qui sanguinem filii Dei pro se fusum conculcant, qui sepe pluris minimum numum, quam Deum ipsum faciunt.

13.

Christianus est excellens lux, & quasi sol quidam in mundo.

Sapiens quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectam diem. Prouerb. 4. *Vos fratres non estis*

C c 2

in tenebris, ut vos dies illa, tanquam fur, comprehendat: omnes enim vos filii lucis estis, & filii Dei. I. Thef. I. Orietur tibi (iusto) lux tua in tenebris, & tenebrae tuae erunt instar meridiei, ait Dominus apud Iesaiam. Ut Iob etiam: Quasi meridians fulgor consurget tibi ad vesperam, & cum te consumtum putaueris, orieris ut Lucifer.

CALCAR.

Sis Christianus, & eris quasi stella matutina in medio nebulae. Quasi luna in diebus suis plena; quasi sol refulgens in mundo. Quasi arcus splendens inter nebulas gloriae; quasi flos rosarum in diebus vernis, quasi lilia in transitu aquae. Cave sis impius, alioqui eris caligo & tenebrae, & atra quaedam nox, & in meridie ipso nihil cernes. Horribiles sunt apud Aegyptios tenebrae: at ubicunq; filii Israel habitant, ibi lux.

I 4.

Christiano animo nihil in mundo
maius est.

Magno animo, qui magna mundi
nihili tacit, nihil est maius. Christiani

ani-

animus est tanta magnitudine præditus, ut quæ a Mundanis magni fiunt, ipse parui faciat: diuitias, honores, voluptates mundi, & quicquid ipsi magnum est, despicit. Rebus humanis quasi conculcatis, quasi super cælos gradit, & ad hæc caducas res oculos deiicere dedignatur: sed totus ad cælestia conuersus, æterna bona affectat.

CALCAR.

Quis sicut verus Christianus, qui cum magnus sit, nihil sibi arrogat, non ambulat in magnis, sed in humilibus versatur?

Quis sicut Christianus, qui cū paruus sit, omnia quæ putantur maxima, contemnit?

Despice omnem mundi impietatem, quæ abiecta est mundi scoria, terram spectat, sub terra iacet sepulta, subiicit se mundanis, famulatur Satana, nihil magni & alti, nec cogitat, nec efficit.

15.

Christianus est Rex, imo excelsior Rege Mundano.

Christianus quia Deo seruit, re-

gnat, imo ita regnat, vt Dei regnum intra se habeat, cum Mundi Reges regnum suum extra se habeant. Hi coronam a mundo accipiunt, Christianus honore & gloria a Deo ipso coronatur. Reges Mundi gemmis ex terra sumtis, Christianus lapillis a cœlo delapsis ornatur: illi purpura corruptibili, hic incorruptibili induitur.

Regia mundi potestas cum labore acquiritur, cum timore retinetur, cum animæ detrimento sæpius amittitur: regia Christiani dignitas, cum labore quidem, sed dulci & caro obtinetur, cum timore pio possidetur, & cum salute animæ perseuerat.

CALCAR.

Christianorum sacris fac imbuaris, & eris Rex excelsus, qui Deo seruiens vere regnat. Ne igitur vixeris secundum carnem, sed secundum spiritum. Ne prudentia carnis, sed prudentia spiritus nixus fueris. Ne mundo, sed Deo placere, sategeris. Ne viuens mundo mortuus sis Deo,

sed

sed uiuens Deo crucifixus & mortuus sis mundo.

16.

Christiano nulla creatura nocet, sed omnis inferuit.

Creaturæ, iustitia per Christū Dei agnum recuperata, aut omnino iustis non nocent, aut ad maiorem eorum gloriam, Deo permittente, quadantenus nocere ipsis conceditur. Ies. 43. *Noli timere, quia redemi te, & vocaui te nomine tuo: meus es tu. Cum transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te: cum ambulaueris in igne, non cōbureris a flamma, & flamma non ardebit in te. Ies. II. Delectabitur infans ab ubere super foramina aspidis, & in cauerna reguli, qui ab lactatus fuerit, manū suā mittet. Nō nocebunt, nō occident in uniuerso monte sancto meo. Non tantum non nocent, sed etiam homini pio & iusto creature inferuiunt, obediunt, eumq; tanquā numen quoddam reuerentur. Huic non solum homines ad officia nati, sed etiā fera nulli cicurationis capaces obediunt, & qua na-*

cure impulsu feruntur, contra naturæ propensionem sepe fidei & pietati Christiani cedunt. O rem admiratione dignam, homini non modo angeli, sed etiam filius Dei serui forma accepta seruiuit!

CALCAR.

Da operam fidei & pietati Christianæ; Christianum nulla creatura, nisi Deo permittente ad maiorem eius utilitatem, ledere possunt. At vero omnes creaturæ ad nocendum impiis, si Deus annueret, paratæ essent. Terra impios eos absorberet, aqua obrueret, aer inficeret, cælum opprimeret, ceteræq; omnes eis tanquam Dei inimicis bellum inferrent. Caue sis impius, si posset, nulla creatura seruiret impio, tanquã conditoris sui hosti. Hinc singulæ creaturæ tanquam gementes, expectant manifestationem filiorum Dei, ut ab hac inani seruitute, liberentur.

17.

Christiani gratia omnia in mundo facta sunt & adhuc conseruantur.

Omnia Deus fecit propter homi-

nem.

nem. In impii vero muscipulam creaturæ factæ dicuntur. *Quid est homo, inquit David, quod memor es eius? & filius hominis, quod visitas eum? Minuisti eum paulo minus ab angelis; gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiiecisti sub pedibus eius, &c.* O quam admirabilis est Christianus in Deo suo super terram! Si fabricatus est mundus viri pii causa, etiam eiusdem causa conseruatur: Et si nulli pii in mundo essent, mundus non esset. Toto terrarum orbe, ob impiorum scelera aquis cooperto, iustus Noa cum suis est seruatus. Sodomæ ac Gomorrhæ pepercisset Deus, si saltem 10. viros iustos in eis inuenisset. Angelus clamat ad quatuor angelos, quibus datum erat, nocere terræ. Apoc. 7. *Nolite nocere terræ & mari, neq; arboribus, quoad usq; signemus seruos Dei nostri in fratribus eorum.*

CAVTIO.

Cum impii in hoc mundo viuant, vel

ut corrigantur, vel ut per eos boni exer-
ceantur; ipsi quoque piorum Christianorum
caussa in hac vita seruantur, & ad ipsos,
ut & creaturae rationis expertes, referun-
tur. Vnde etiam piorum conditio felix,
impiorum status miser apparet. Certe si
creaturis ratione carentibus mentem tri-
bueres, ita ut pios ab impiis secernere pos-
sent, illis omnino seruire & obedire con-
tenderent ceu Dominis suis: hos vero dete-
starentur & fugerent. Ideo, dicente Apo-
stolo, vehementer desiderant, & quasi ge-
mentes & instar parturientis cum dolore
expectant, ut aliquando boni secerantur
a malis, quod futurum est in die iudicii, u-
bi totus mundus contra maledictos in sur-
get. Fuge igitur impietatem, ne excluda-
ris ab illis, quorum causa mundus factus
adhuc subsistit.

18.

Christianus velut quidam totius Mundi
Monarcha est.

Christus quidem Mundi magnus
est Monarcha, cui data est omnis po-
testas in caelo & in terra. Huic pater
dixit:

dixit: *Postula a me & dabo tibi gentes, hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terre.* Christianus etiam est filius Dei, nō quidem naturā, sed gratiā: Proinde & ille est adoptione Mundi Monarcha in suo Christo. Ideoque cum Christo in die Iudicii mundum iudicabit. Christianus filius Dei est heres Dei, & coheres Christi. Pater proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnib. tradidit illū: quomodo non omnia etiā nobis cū illo donavit. Perpondera hæc verba, considera largitorem, perpende rem donatā, aspice eū, cui donatur. En hic triplex ius: *Primū*, dat fidalis adoptio; *Secundum* triumphalis debellatio: *tertium*, redamationis vicissitudo.

C A L C A R.

Si Christianus es, facies hilarescat, oculi serenentur, omnis exsurgat læta affectio, gratiarum resonent actiones. Christianus Monarcha quidam est: Christiano Deus cum Christo donavit omnia. Tua causa factus, tua causa etiā cōservatur mundus: sub pedes tuos pater etiā omnia subiecit. Ad

imaginem & similitudinem Dei factus, per Christum redemptus, per spiritum sanctum es unctus. Omnia, inquit Paulus, vestra sunt. Gaude igitur, Dominus es, fac maneat, ne fias seruus peccati & mancipium Satanae.

19.

Christianus Rex intra se habet Dei regnum,

Magnum quid est, regnum suum ita in sua habere manu, ut illud hostis nullus, bellorum vis nulla ab eo possit auferre. Rex Christianus est, regnum habet, at regnum Dei, de quo Christus Christiano dicit: *Querite regnum Dei. Orate: Adueniat regnum tuum.* Hoc regnum Dei, dicente Domino, intra nos est.

Regnum, hoc est, non esca & potus, sed iustitia, & pax, & gaudium in spiritu sancto. Regno Dei nihil est maius: Et illud intra se habere & sentire nihil dulcius.

CALCAR.

Petamus a Christo Domino edocti a

Rege

Rege regum, hoc regnorum regnum & dicamus: *Adueniat regnum tuum. Impietatis sordibus te ne coinquines, accurate vide. Impius enim, cum Deo non seruiat (cui seruire, regnare est,) cum Deum in se habitantem nō habeat, nec Rex est, nec regnum habet: Sed cum in eo Daemon regnet, & ipse peccato in seruiat, Diaboli regnum seu tyrannidem, iniustitiam, conscientia turbas inquietas, & tristitiam habet. O peccator, excute regnum Diaboli, libera te a durissima Pharaonis seruitute. Quare Dei regnum, non extrate, sed intrate: & te ipsum quasi inueni & inuentum possidebis Rex benedictus.*

20.

Christiano cuncta feliciter succedunt.

Fortunatum eum, dicunt vno ore omnes, cui omnia fluunt ex voto, & prospere succedunt. At felicitas hæc non in eo consistit, vt humana humano pro voto semper eueniant negotia, sed in hoc, vt tam ex aduersis, quam ex secundis rebus, salutaris aliquis colliga-

tur fructus. Iam vero Christianis diligentibus. Deum omnia cooperatur in bonum. Rom. 8. (etiam ipse casus, addit quidam) *Mirabilis hic Deus in sanctis suis, ex quovis malo bonum aliquod colligit: mala fieri permittit, ut inde maiora bona, pro sapientia sua colligat. Vere dixit Pfalteres: Iustus est tanquam arbor plantata secus decursus aquarum, quae fructum suum dabit in tempore suo, cuius folium non defluet, et omnia, quaecumque facit, prospere evenient. Deus est cum ipso in cunctis, quae facit.*

CALCAR.

Amplectere sanctam Christianorum vitam, et ex quacumque re, siue prospera, siue adversa, quocumque tempore et loco, cum neque sol per diem, neque luna per noctem te urat, maximos capies fructus. Omnia tibi cooperabuntur in bonum: omni, crede mihi, ex re, quam ut audis, aut vides, aut quovis alio sensu percipis, laudandi Deum, ac proficiendi in spiritu, occasionem sumes. Sis iustus Christianus, qui cum bonus sit, non minus ex malis, quam ex bonis novit colligere bona.

CO.



CORONA

GLORIÆ CHRIS-
TIANÆ SE-

CVNDA.

Flos Gloriæ primus.

Christianus omni honorum genere
dignus.



Maximis Christianum ho-
notib. cumulandū cen-
seo, ob cognitam in eo
excellenciam: ob virtu-
tes, quibus exornatus est: ob titulos il-
lustres, quib. ipsum insignit spiritus S.

Quis non honoret eum, quē Deus
ipse amat & honorat? de quibus dicit
Dominus: *Qui vos spernit, me spernit?*
Honorandos dicamus illos, quos qui
tangit, tangit pupillā oculi ipsius Dei:
q̄ participes sunt facti diuinæ naturæ,
olim futuri participes diuinæ gloriæ.

CALCAR.

Honora Deum, o homo, & vicissim honorabit te Deus. Dilige Iesum, & serua eius sermonem, & ipse pater diliget te, & cum filio suo ac spiritu veniet in te, & mansionem apud te faciet, ut fias honorabile sacrarium Dei. Pro recuperando amisso pristino hominis honore, Dei filius exinaniuit semetipsum, forma serui accepta: mo vermis & quasi non homo factus est. Cave vero impietate Deum offendas, alioqui in contemptum Dei, omnium angelorum, & electorum cœlitum, summa cum ignominia, incurres.

2.

Pius Christianus omnium doctissimus est Doctor.

Tantum quisq; scit, quantum operatur; inquit ille. Pius multa operatur diuina & humana præcepta, sancte custodiendo.

Multa operatio ex multa proficiscitur scientia. Legem caritatis nouit Christianus; hanc qui didicit, omnem legem didicit.

Scri-

Scripturæ eum in super doctum cēn-
sent, qui facit & docet, Dan. 12. Chri-
stianus faciendo docet. David Psal.
119. ait: *Longe supra omnes docentes me
intellexi, quia testimonia tua, meditatio
mea est; longe super senes intellexi, quia
mandata tua quesivi.* Doctus Doctor
pius est, quia exemplo & sanctitate vi-
tæ suæ efficaciter docet. Deus ipsa
docuit, unde a Deo est edoctus. Ioan.
6. Christus ait, Marc. 6. *Dabo vobis os
& sapientiam, cui non poterunt resistere.*

C A L C A R.

*Vis esse doctissimus, & haberi? Fias iu-
stus Christianus, at prius necesse est, fias
stultus, ut postea sis sapiens. Christianus
omnem, qui hauriri potest, ex scientiis do-
ctrinã hausit, optimus est magister, quip-
pe qui Deum ipsum habuit & habet præce-
ptorem. Vis esse rudis & ignorans? Sis im-
pius, qui ignorare vult, ut male agat: qui
quod ad se pertinet, discere non curat; qui
seipsum, & viam quam vadit, nescit. Ne
sis, queso, impius, qui cum in via Domini
non ambulet, nihil agit, ac proinde nihil*

scit: qui sibi non sapit. Ne sis impie doctus, multa qui didicit, & nouit, at iis quæ scit, non conuenienter uiuit: ne sis impius doctor, qui siquid bene docendo ædificat, id male uiuendo destruit.

3.

Pius Christianus solus est sapiens.

Vera sapientia est certa Dei cognitio, per quam quis recte uiuendo, colendo & amando Deum, ei placere studet. Sic n. docet ipsa Sapientia: *Dilectio Dei, honorabilis sapientia. Initiũ sapientiæ est timor Domini. Plenitudo sapientiæ, timere Deum.* Sapientia quæ desuper est, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, bonis cõsentiens, plena misericordia, & fructib. bonis, non iudicans, sine simulatione. In solis autem piis ac iustis hæc reperitur sapientia, vt qui soli timent Deum, quiq; soli diligunt Deũ, suntq; eius dilecti amici. Piorum os sapientiam meditatur, & lingua loquitur iudicium, & lex Dei in ore ipsorum. Iustus est solus sapiens, ideoq; in populo

hono-

honorem cōsequetur, & nomen eius in æternum vigebit: Collaudabunt multi sapientiam eius, quæ non deletur, nec memoria eius recedat vnquam.

CALCAR.

Pluris tibi valeat, homo, sancta quædã simplicitas, cum vera sapientia coniuncta, quam tota sapientia mundana, quam non secus Christiana sapientia vincit, ac Moy- sis serpens, Magorum Aegypti serpentes deuorauit. Sibi qui non sapit, insipiens est, licet uterum sapientia plenum ferat. In animam maleuolam non intrat sapientia, ait sapientia. Time & ama Deum sancte: Timor Domini ipsa est sapientia, & recedere a malo, intelligentia, ait Iob.

4.

Solus verus Christianus seipsum recte cognoscit.

Diuitiæ salutis sapientia & scientia, ait Iesaias 33. cap. At inter omnes scientias ea multum celebrata est, qua homo seipsum cognoscit; hæc vt maxime necessaria, ita & utilis, & difficilis.

Solus autem verus Christianus cum Dei notitia coniungit sui ipsius cognitionem. Hic se ipsum, & Deum nouit, hic Deum cognoscendo assimilatur Deo, & dignus fit Deo, eo quod nihil indignum Deo patrat. Pius se a se nihil habere intelligit, ideo omnia sua Deo refert accepta: sibi nihil arrogat, se potius humiliat, & totum se Deo tradit; De se cogitat, secum habitat, non se extra se quærit, &c.

CALCAR.

Nosce te ipsum, o homo, Et tecum habitata. Ne te quæsieris extra te: Oculos in pettus. Non aliunde viuendi suspensas oportet habere rationes. Tui ipsius si cares cognitione, in summa versaris ignoratione. Te si non noueris, qui scies, quæ tibi expectanda aut fugienda sint? Pro piscibus scorpionem, pro pane lapides, pro vino venenū sæpius sumes. Te si ignoras, in te non es, extra te vagaris. Te si ignoras, te ipsum non amas, cum amor gaudeat re cognita. At se non amare, vah quam crudelis. Odit igitur se, qui non nouit se. Fac te cognoscas.

5.

Solus Christianus veritatis obseruans
& tenax.

Christus veritas est, cuius Christiani sunt obseruantissimi. Siquidem veritatem, & verbis, & re profitentur. Alii non sunt ac esse debent: boni intus forisq;. Norunt Deum fictos non probare, & loquentes mendacium perdere. Iustus est prior accusator sui. Iustus factus est ad exemplar & ideam æternæ veritatis: Est etiam probatus & purgatus septies. In iusto Christiano habitat Spiritus veritatis, qui eum docet *omnem veritatem*. Adeoq; *verus verax* & Iustus.

CALCAR.

Caue sis mendax, ne sis filius Diaboli. Quod verum, simplex, syncerumq; est, id nature hominis est aptum, ne degenera. Caue sis, inquam, impius, qui nec foris, nec intus est verus: Sed totus fictus, fucatus, a regula veritatis diuersus. Impius mendax versans in Domo Dei, videtur esse ex Deo,

cum tamen sit ex Diabolo; Videtur homo, cum potius coram Deo bestia sit insipiens: Videtur Christianus verus, at est nomine, non re, mortuum non viuens, dealbatum sepulcrum, & homo vere vanus.

6.

Solus vere Christianus est hominum prudentissimus.

Dominus dat sapientiam & ex ore eius prudentia: custodit iustorum salutem, & protegit gradientes in simplicitate. Os autem Domini soli obseruant Christiani: ideoq; soli a Deo in omnib. viis suis diriguntur, vt nihil non prudenter agant. Gratia Dei abundat in anima iusti per sapientiam & prudentiam. Christianus obseruat regulam rectã rerum earum agenda- rum, quæ ad bene beateq; viuendum pertinent, præteritorum recordatur, præsentia recte disponit, & futura præuidet. Christianus prudens laudetur.

C A L C A R.

Impius si fueris, temere viues, nihil explorate ages, imprudens fueris, aut si quæ

in te

in te apparet, ea carnis erit prudentia. Prudens sis Christianus: Et peccatorum tuorum, Dei vero pollicitorum & beneficiorum reminiscere, ordinag, recte omnes tuas actio nes observatis omnibus circumstantiis. Prudens elude omnium hostium tuorum artes, ne ab illis decipiare. Prudens tibi sape, substantiam tuam, ne dilapida, pacifice dormi vive, & honori tuo consule. Prudens lumbos habe precinctos, & lucernam ardentem in manibus, & vigilanter expecta Dominum, cui te totum omnibus horis mactes & tradas.

7.

Verus Christianus solus est hominum fortissimus.

Is fortis censendus est, qui pro graui causa, cum ratione, grauissimos labores & cruciatus ferre paratus est. Pius autem Christianus, pro Christo, veritate & iustitia, qua causa nulla potest esse grauior, millies in die vitam exponere paratus est, vt qui nouit beatos esse eos, qui pro

iustitia persecutiones patiuntur: Si-
quidem ipsorum est regnum celo-
rum; quod ipsi violenti sæpe ad se ra-
piunt. Robur carnificum, o quoties
in excarnificandis Christianis, ipsis
infractis & inuictis manentibus, defe-
cit! Nullum credulitatis genus est,
quod ipsi non Christi nomine, animo
magno sint perpeffi. Sunt illi profecto
fortissimi, qui possunt Satanam, mun-
dum & carnem superare. Christianus
super aspidem & basiliscum ambulat
& conculcat leonem & Draconem.

CALCAR.

*Si fueris impius, debilis, imbellis, & ef-
fœminatus fueris. Fugit enim impius no-
mine persequente, & timet ubi non est ti-
mor. Iustus vero, quasi Leo confidens, est
imperterritus. Si pius fueris Christianus,
fortitudine honorandus, ages & patieris,
abstinebis & sustinebis animo inuicto; aliis
expugnantibus oppida, tu cœlum expugna-
bis; aliis caducum regnum oppugnando ac-
quirentibus, tu æternum Dei regnum; aliis
triumphantibus in Mundo, tu in parady-*

so:

so: alius agendo vincentibus, tu quoque cum Christo perpetuando victoriam reportabis.

8.

Christianus solus hominum omnium potentissimus.

Phil. 3. ait Apostolus: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* En quãdam quasi omnipotentiã. Luc. 17. ait Christus: *Amen dico vobis, si habueritis fidem sicut granum Sinapis, dicetis monti huic: transi hinc, illuc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis.* Potentissimus utiq; is est, cui omnia sunt possible, *Iusto credenti omnia sunt possible:* Is summa præditus est potẽtia, quem *nihil omnino potest separare a caritate Dei.* Rom. 8. *Nihil, inquam, nulla creatura etiam angelica: qui item ita potens est, ut non peccet.* Christianus autem manens in Deo, & in quo manet semen Dei non peccat. 1. Ioan. 3. *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Deus autem pro piis est. Prope est Deus timentibus se. Nemo stabit, inquit Deus. contra vos. Nolite timere, ego vobiscum sum.*

D d 5

CALCAR.

Agnoscite impii infirmitatem & impotentiam vestram, qui omnibus inimicis vel leuiter aggredientibus ceditis, in quauis procella naufragium facitis, & quouis leui transuerberamini verbulo. Letamini vero pii Christiani, agnoscite vestram fortitudinem & potentiam, Deoque auctori eius honorem & gloriam reddite.

Gaudete iusti, in Domino, mundum, carnem, & Daemonem vincere potestis in Christo, in quo omnia potestis. Imo cum Deo ipso luētantes eritis Israel, praeualentes Deo, quem non dimittetis, nisi benedixerit vobis. Videbitis Dominum & salua facta est anima vestra.

9.

Christianus seipsum vincendo de seipso
victoriam reportat victoriosis-
simam.

Maxima & difficilima omnium
victoria est, quam quis seipsum vin-
cendo de seipso refert. Hanc qui ad-
eptus est, vt maxime inuictus summis
in cœlum laudibus est efferendus.
Pius vero Christianus cum omnia si-
bi subiiciat, cum omnes suos hostes,
Mundum, carnem & Satanam vin-
cat, cum vitia prosterнат enormia, cū
cupiditates frenat, certe victoriosus
existat necesse est.

Hic cum de inimicis suis internis
& externis reportet victoriam, non
se effert, nec sibi eam adscribit, sed
ait: *Benedictio, & claritas, & sapientia, &
gratiarum actio, honor & virtus, Deo
nostro in secula seculorum. Amen.*

CALCAR.

*Gaudete pii Christiani superatis inter-
nis & externis hostib. vestris, fractisq; ve-*

*stris cupiditatibus, vincitis gloria rerum
gestarum ipsos Imperatores, dum vos ipsos
abnegando superatis, & Deo gloriam da-
tis. Inglorii & obscuri sunt omnes impii,
qui dum vincuntur, nec vincunt se nec a-
lios, semper a carne a Diabolo, a mundo, a
cupiditatibus, & affectibus suis misere ca-
ptivi ducuntur.*

IO.

Solus Christianus impavidus nihil timet,
nisi culpam & Deum.

Vir pius & iustus, diuino nixus au-
xilio, intrepidus & securus vbiq; viuit
& impavidus, etiamsi cœlum fractum
laberetur, nulla ratione terretur; ait
cum Dauide: *Non timebo millia populi
circumdantis me: Item. In Deo meo trans-
grediar murum. Item: Dominus est illu-
minatio mea, Dominus est protector vitæ
meæ, quem timebo? Si insurgant aduer-
sum me castra, non timebit cor meum.*

Pius itaq; omni securus & impavi-
dus incedit, quia Deus est in ipso
& pro ipso, Deus sub vmbra alarum
suarum eum tegit, & scuto bonæ vo-

lun-

luntatis & veritatis suæ circumdat.
Hic nihil putat sibi timendum esse
nisi culpam, qua cum careat nihil est
quod timeat. Hinc Psaltes ait: *Non ti-
mebunt iusti, dum turbabitur terra, &
transferentur montes in cor maris.*

CALCAR.

*Sancta fides pietasq; Christiana armet
pectus tuum, o homo, & nulla tanta malo-
rum vis ingruet, ut te deicere queat, quia
fluminis impetus, abundans spiritus san-
cti gratia, letificat civitatem Dei, quæ est
cor Christianum, ac proinde semper in pa-
ce dormit ac requiescit. Cave sis impius,
qui nemine persequente fugit, utpote desti-
tutus Dei presidio, quem cum accuset ma-
le actæ vitæ conscientia, ad singulos rumu-
sculos titubat, expauescit, labascit.*

*Sis integer animi & sceleris purus, &
Deus pro te erit, nihilq; formidabis.*

II.

Christianus Patiendo vincit omnia.

**Christus non est ingressus in glo-
riam suam, nisi per patientiam: Chri-**

sto fuit dictum: *Sede a dextris meis*, quia de torrente in via bibit: Proinde in eandem gloriam non intrat, nisi Christo similis Christianus per crucem & patientiam. Pater enim eos prædestinauit, quos præuidit conformes fieri imagini filii sui. Patientia omnes sanctos fecit illustres. Qui nouit pati, est victor sui, Dominus mundi, amicus Christi & heres cœli. Per patientiam Christianus iura Dei tuetur, fidem munit, pacem gubernat, dilectionem promouet, humilitatem instruit, carnem regit, spiritum seruat, linguam frenat, manum continet, tentationes conculcat, scandala pellit, pauperem consolatur, diuitem temperat, infirmum non deicit, valentē nō consumit, fidelem delectat, infidelem inuitat. Victrix denique Christianorum patientia triumphat.

C A L C A R.

Ne patiare, ut impius, qui tanquam iniquus latro, velit, nolit, patitur, & cum pro Christo pati nolit, careatque scuto pa-

tien-

tientia, prorumpit impotente animo in blasphemias, & propter impatientiam damnatus perit. Vide ut Deum ames, sæpiuscule de mercede patientiæ cogites, dolorem passionis Christi sentias. Melior est vir patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore urbium. Beati ergo Christiani, qui persecutiones patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Gaudete & exultate Christiani patienter: Merces vestra copiosa est in cælis.

12.

Christianus mansuetissimus & humillimus est.

Christianus etsi celso & inuidio animo sit præditus, sitq; multis ornatus virtutibus: tamen insistens Christi magistri vestigiis, qui dixit: *Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde*, mansuete & submisse se gerit, cū nihil possit efferre eam mentē, quæ se pro Dei gloria humiliavit. Amplectitur itaq; Christianus mansuetā humilitatē, quæ filii Dei maiestas reddidit illustrem &

gloriosam. Nouit quippe Deum exaltare mansuetos in salutem, dispergere superbos, & efferre humiles. Hinc Christianus mitis & humilis neminem despicit, nemini se præfert, sed potius omnibus se subiicit, omnes amplectitur, honorat, iuuat: gaudet in contumelia, in rebus aduersis Deum laudat, iratos suauitate mitigat. Proinde eum Deus respicit, exaudit, erigit, & cum Principibus populi sui collocat.

CALCAR.

Fili mi, ait sapiens, in mansuetudine opera tua perfice, & super hominum gloriam diligeris. Beati enim mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Mansueti & humiles hereditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis. Impius vero morosus & peruicax est, importunus & arrogans, superbus & immodestus est. Vide itaque modestia tua nota sit omnibus: Dominus enim prope est, ait Apostolus.

Christianus liberalis bona sua, quæ possunt
communicari, omnia cum omnibus
communicat.

Beatus Christianus est, qui non
modo particeps est omnium timen-
tium Deum, sed etiam liberaliter aliis
largitur: ab omnibus honeste accipit,
cum omnibus sancte sua communi-
cat. Veluti Deus, pluit super iustos &
iniustos; vult omnibus salutem; orat
pro omnibus, omnes æque ac se a-
mat, factus est omnia omnibus: Di-
spergit & dat pauperibus, benefa-
ciendo aliis animæ suæ miseretur: non
obdurat cor, nec contrahit, sed ape-
rit manum suam pauperi, opera mise-
cordiæ exercet, denique in omnes o-
mnibus modis est beneficus.

CALCAR.

*O impii, quando tandem miserebimini
animæ vestræ, quousque in vos ipsi auari,
in alios iniqui eritis? Resipiscite, &
Christum esurientem pascite, sitientem
reficite, peregrinum excipite, nudum ope-
rite, infirmum visite, Christi Iesu caussa*

E e

qui in vos tam beneficus fuit, tolerate infirmos, dubios extricate, ignorantes docete, mæstos consolamini, peccantes corripite, inimicos vobis conciliate, & pro omnibus orate: sitis oculi cæcis & pedes claudis: Et Dominus abunde vobis benedicet.

14.

Christianus sua bona, sancta frugalitate, tuetur & auget.

Vir pius ita liberalitatem exercet, vt frugalitatis laudem non amittat. In suis bonis communicandis est beneficus, in iisdem tamen conseruandis & amplificandis, est frugalis. Spiritualibus bonis a Deo acceptis amplificandis piam nauat operam, boni aliquid meditando vel agendo, semper orando, aliorum virtutes æmulando, omnium orationibus sese commendando, concesso talento negotiando, & ex omnibus spiritualem aliquam vtilitatem hauriendo. Diuitias animæ vbi auxit, bonis etiam suis externis frugaliter vtitur, & se aurea

oble-

oblectat mediocritate solumque victum & amictum a Deo requirit.

CALCAR.

Quorsum, filii prodigi, in longinquam excurritis regionem, ubi luxuriose viuendo omnem vestram dissipatis substantiam? Incipietis egere, & seruire, ad pascendos porcos ablegabimini, ubi porcorum siliquis vesci cupietis, & fame, nisi reuertamini ad parentem Deum, peribitis. Ne, queso, luxuriatis, ostentando & perdendo vestras diuitias. Vanitas in his est & afflictio spiritus. De omnibus acceptis olim vobis reddendam rationem meminertis.

15.

Christiani anima casta, & corpus mundum est.

Nitidus est Christianus, & ab impuris maculis purus, tanquam pura ciuitas, domus, templum, & tabernaculum, in quo residet sanctus Deus, qui non habitat in corpore peccatis subiecto, nec in anima maligna. Internam hanc suam munditiam tuetur & conseruat, dum exteriores sen-

fus, ab omni re, per quam anima eius potest infici, auocat: adeoque sibi cauet ab omni turpiore macula, quæ oculos Dei in se habitantis offendit, quippe nouit Deum, se vocasse non ad immunditiam, sed ad immunditiam, sed ad sanctificationem. Apparet etiam in piis quædam exterior mundities, quibus quidem, sicubi ita Deo visum est, placet paupertas, at sordes nunquam.

CALCAR.

Cur, o impii, intus forisq. impuri, animo & corpore spurci estis? Cauete impudici, regnum Dei non possidebitis, qui per impudicitiam facitis vos membra meretricis, & templum spiritus sancti violatis. Ah canes, cur reuertimini ad vomitum? Ah porci loti, cur reditis ad luti volutabrum? Cur peccata, quæ semel euomistis, iterum resorbetis? Nihil est in hoc mundo sordidius homine impio, qui sorde, corpore & sensibus est immundus. Huius turpitudinem Deus detestatur.

16.

Solus

Solus Christianus omnium hominum
est iustissimus.

Christianus nulla in re est iniquus,
neq; ad dextram, neq; ad sinistram se
flectit: Siquidem Deus eum ducit per
vias iustitiæ. Idem vtramq; fortunam
sapienter fert, vt qui est quadratus,
stabilis & firmus. Hunc Deus diligit
& intuetur, quoniam iustus Dominus
& iustitias dilexit. Hic vt palma floret,
vt Cedrus Libani multiplicatur. Iu-
stus Christianus ex Deo natus est: qui
enim facit iustitiam, ex Deo est. Qua-
re Deo, proximis, & sibi suum tri-
buit.

CALCAR.

*Caue homo sis iniustus, caue sis Deo, ho-
minibus & tibi iniquus, & inuisus; obser-
ua potius & apprehende iustitiam, & (vt
cum scriptura loquar) obuiabit tibi, quasi
honorifica mater, & quasi mulier a virgi-
nitate suscipiet te. Cibabit de illa pane vitæ
& aqua sapientiæ potabit te, confirmabi-
tur in te & non flectetur; continebit te &*

non confunderis: exsultabit te, & in medio Ecclesie aperiet os tuum, & implebit te spiritu sapientie & intellectus, & stola gloria vestiet te.

17.

Christianus est diuini timoris obseruantissimus.

Præditus est sancto Dei timore vir pius, vnde innumerabilia consequitur bona. Christianus Deum timet, & illuminatur cor eius: Timet Deum & non occurrunt illi mala, sed in tentatione Deus eum seruans liberat a malis. Timet Deum & expellit peccatum. Timet Dominum, eumque experitur adiutorem & protectorem. Timet Deum, & nil trepidat aut expauescit. Timet *inquam* Deum, & tingitur Dei doctrina, & sapientia imbuitur, & gloria coronaq; exultationis gaudet, perfunditur gaudio & cœlesti oblectatione.

C A L C A R.

Si Dei timore destitueris, homo, desidia vacas, voluptates aucuparis, aduentum

Do-

Domini non expectas, conseruos percutis, in omnia preceptis ruis vitia: adeoq; carnalis te securitas in exitii barathrum precipitat. Time, homo, Deum tuum, ut mandata eius serues, cor tuum prepares, Dominum vigil expectes, & nulla in re, que ad salutem tuam pertinet, torpescas. Beatus vir, qui timet Dominum; potens in terra erit semen eius: gloria & diuitia in domo eius.

18.

Christianus solus viua fide præditus
viuit.

Fides Christiani viua & efficax, attingit inaccessa, deprehendit ignota, comprehendit inmensa, apprehendit nouissima, ipsam deniq; æternitatem suo quasi sinu circumdat. Fides iusti est lumen cum splendore, lucerna cū oleo, pupilla cum visione, auris cum auditu, arbor cum fructibus. Fide duce, Christianus in cœlo versatur, gloriã cœli gustat, Deum semper ob oculos habet. Fide tanquam lumine ambulat, tanquam oculo videt, tan-

Ec 4

quam aure audit, tanquam cingulo caste viuit, tanquam brachio pugnat, tanquam lucerna amissum quærit, tanquam manu bona cœlestia apprehendit.

CALCAR.

Impius in peccatis mortuus, mortuam etiam habet fidem, ita viuit, ac si Deum non esse crederet, & quod se credere ore fatetur, factis negat. Et sic aliqua ratione Demone est inferior: quia Demon credit & cōtremiscit: at impius, licet credat, non tamen timet. Caue igitur, o miser peccator, ista fides, quam iactas, nullius est pretii, est lumen, quod non lucet; Est auris, quæ non audit; Est oculus, qui non videt; Est lucerna, quæ caret oleo; Est arbor sine fructibus. Ora Deum ut viuam in te creet fidem.

19.

Christianus solus spe certa Deo nixa
fulcitur.

Fides vt credentem Christianum non fallit; ita spes Deo fulta sperantē non frustratur. Sperantem in Domi-

no

no misericordia circumdabit. Non est confusio sperantibus in Deum. Qui confidit in Domino, sicut mons Sion, non commouebitur in æternū. Beatus est vir, cuius est nomen Domini spes, & non respicit in vanitates. Hinc Christianus dicit: *In te Domine, speravi, non confundar in æternum.* Et tantum spei in ipso est, vt dicat: *Etiam si occiderit me, in eo tamen sperabo.* Spes illum non confundit.

CALCAR.

Spes impiorum vana est, & tanquam lanugo, quæ a ventis dissipatur; est tanquam spuma, quæ cito disicitur; est tanquam fumus, qui aucto dispellitur, & tanquam memoria hospitis vnius diei. Spes impiorum peribit. O miseram impiorum sortem, spes vestra tanquam arundo, vacua est, cui qui innitur. Facile collabatur: labores vestri sine fructu. Laborant pii, laborant impii. Illi certissima spe expectant ingens præmium: hi vero infinita supplicia. Resipiscite o impii; de spe frustra presumitis, qui Deum timere renuitis.

20.

Christianus caritatis ardore flagrat in
Deum & homines.

Christianus est tanto caritatis igne incensus, vt nesciat non amare, imo sciat syncero corde amare, & ideo nihil cuiquam, nisi amorem, debet: Et dum debitum persoluit, ne quando non amet, quotidie magis ac magis debitum amando auget. Deum ita amat, vt eum ex toto corde amare discupiat semper, pro amicitia Dei retinenda odio habet non modo consanguineos & amicos, sed etiam parentes & seipsum. Nouit non esse dignum amicitia diuina eum, qui & alios & se magis, quam Deum amat. Proximi causa Christianus quid non agit? In egestate ei subuenit, oculos viduæ non facit expectare, non comedit buccellam solus; est oculus cæco, pes claudis; retrahit a peccato, & vitam pro proximo exponere non dubitat.

CALCAR.

Si

Si amare vis, homo, amore tuo comple-
tere totum Deum, & creaturas omnes a
supremis usq; ad infimas propter Deum di-
lige, ut tandem tuus amor, unde defluxit,
redeat. Amorem in Deum & proximū
si in corde tuo gesseris, habebis oleum, quod
penetrat; Aurum, quod ditat; ignem qui
inflammat; torquem, qui ligat; stolam,
quæ exornat; Et matrem, quæ diligit &
nutrit. In primis vero ama Deum, & eum
infelicem duc, qui Deum non amat, omnia
etiam pro amato perpetere: cum Deo ama-
to sis, vel presentia, vel cogitatione; ama
omnia quæ illius sunt, lauda Deum, eumq;
laudari ab omnibus opta, atque eum igno-
minia affici ne patiare: semper eius deside-
rio langue & arde, eiq; totis viribus in-
servire unice stude, & bea-
tus eris.



CORONA

GLORIÆ CHRIS-
TIANÆ TER-

TIA.

Flos Coronæ primus.

Solus Christianus vera pace fruitur.

SOli viro Christiano est mentis serenitas, animi tranquillitas, & pax interna conscientie, cuius auctor Deus pacis est, cuius instaurator Christus Iesus est, qui est pax nostra, quiq; pacem suam suis fidelibus dedit & reliquit, cuius procreator spiritus pacis est. Pax hæc exuperans omnem intellectum & sensum donatur a Deo, iustificatis Christianis. Vbi enim Deus pacis est, ibi pax hæc. At

in

in Christiano est Deus, vt in templo tabernaculo & sede, in qua Deus habitat. Angeli nato Christo pacis instauratore pacem de cœlis annuntiarunt hominibus bonæ voluntatis, nimirum piis Christianis. Christus, viris iustis, Apostolis pacem suam peperit & reliquit. Hinc anima pii dicitur: *Ierusalem, visio pacis.* Hinc Ies. 38. *Et erit opus iustitiæ pax, & cultus iustitiæ silentium, & securitas vsq; in sempiternum: Et sedebit populus meus in pulcritudine pacis, in tabernaculis fiducie, & in requie opulenta.*

C A L C A R.

Infelices dico omnes impios, qui cum viam pacis ignorent, tanto carent bono. Et quamuis dicant: Pax, pax: tamen non est pax impiis, dicit Dominus. Et quomodo erit pax inter eos, qui in seipsos conuersi mutuis se concidunt vulneribus, qui secum pugnant, qui seminant discordias, qui animi sui partes inter se dissidentes habent, qui pacis auctorem repellunt? Scilicet is gustabit fructum pacis huius, qui quo se cunq;

vertit Furias sentit ultrices. O impii, si quietem quandam prae vobis fertis, brevis est quies, fucata est pax. Et quid prodest foris pacis ostendere formam, & intus ardere bello?

2.

Solus Christianus veris gaudiis & voluptatibus perfruitur.

Scriptura ait: Qui pacis ineunt consilia, eos sequitur gaudium. Lux enim orta est iusto, & rectis corde letitia. Peccatum tristitiam, peccati remissio lætitiā parit. Pacem veram & animi tranquillitatem sequitur gaudium in spiritu sancto. Deus totius consolationis auctor in Christiano habitat. Regnum Dei, quod est pax & gaudiū in spiritu S. in pio corde est. Deus igitur dat gaudium iustis, & lætitiā salutaris sui, & ideo exsultant ossa humiliata. Deus abstergit omnem lacrymā ab oculis eorum. Torrente voluptatis Deus suos perfundit, ut prægustent gaudium vitæ æternæ hic, qui olim gustabunt plene in vita altera. Hinc
excla-

exclamant pii: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ; Domine, quam abscondisti timentibus te. Gaudens gaudebo in Domino, & exsultabit anima mea in Deo meo: quia vestimentis salutis & indumento iustitiæ circumdabit me.*

CALCAR.

Letamini in Domino & exsultate iusti, & gloriamini omnes recti corde. Iniusti ergo tristamini, quia peccato excruciamini, pacis & consolationis auctorem a vobis repellitis. Mundana carnis letitia brevis est & fucata, eiusq; mel felle mixtum est. Vide sis Christianus portans Deum in corpore tuo, si vis suauibus perfundi voluptatibus, quas ubi gustaveris, in cælo beatum te predicaueris. Valeant inania Mundi gaudia, quæ tandem extremus semper luctus occupat. Letabitur iustus in Domino, & sperabit in eo, & laudabuntur omnes recti corde.

3.

Christianus sine vlla grauiore cura & sollicitudine viuit.

Grauioribus, de reb. ad vitam hanc

traducendam pertinentibus, non distinctur curis verus Christianus; Curæ pacem & gaudium eius non impediunt. Pendet enim totus a procuratione cœlestis patris; huic se totum ubiq; & semper tradit. Omnem sollicitudinem suã in Deum proiicit, quoniam ipsi cura est de nobis.

Reuelat pius Domino viam suam, & sperat in eo, & iactat curam suam in eum, a quo enutritur. Scit se pluris esse passeribus, scit omnem humanã prouidentiam & curam, sine Dei benedictione, inanem esse. Scit se filiũ esse Dei, ideoq; se totum & omnia sua patri suo comittit. Hoc curat, vt Deo placeat & obediat, fiatq; possessor regni Dei.

CALCAR.

O miseros impios, qui curis mordacibus agitantur dum tantum suæ industriae fidunt, dum prudentiæ carnis innituntur, dum a Deo non petunt benedictionem. Anguntur itaq; dum in operibus duris luti & lateris in Aegypto sub crudeli Pharaone

occupantur. Ab impii licet sua sollicitudine totum lucrarentur mundum, quid tamen proderit eis hoc, cum anime sue detrimentum capiant. Vivite felices & leti Christiani, qui regnum Dei & iusticiam eius queritis, & cetera paterna Dei cura committitis.

4.

Christianus vera laude dignus, valde gloriosus existit.

A finibus terre laudes audivimus, gloriam iusti. Ies. 24. Ea demum vera laus est, quæ a laudatis proficiscitur. Iam vero non tantum laudati viri sanctos laudarunt, sed & ipse nunquam satis laudatus Deus. Vide historiam Davidis & Iobi. Laudat Christus non tantum Ioannem Bapt. Sed in Cantico Canticorum miris laudum encomiis condecorat sponsam suam, h. e. pios & fideles. Spiritus Dei ex professo multorum sanctorum laudes in Ecclesiastico & Epistola ad Heb. profecutus est.

Hinc virorum piorum clara noti-

Ff

tia laude per varia tempora & loca est diffusa, & diuinus vates cecinit: *In memoria aeterna erit iustus; Ab auditione mala non timebit: quia nemo quibuscumq; eum proscindat calumniis, ipsius unquam infuscabit nomen.*

CALCAR.

Remoue mentis oculos ab hac rerum caligine mundana, atq; eos ad eam laudem & gloriam, conuerte, qua quiuis pius apud Deum gloriosus existit, & pluris illam aestima, quam quicquid esse potest nominis, gloria & splendoris in hoc mundo; Impiorum vero gloria, qua exsultant, est instar vaporis, cito euanescentis, & instar floris cito exarescentis. Clama igitur: Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri: Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos agri, quia spiritus Domini sufflauit in eo. Vidi, inquit Psaltes, impium superexaltatum, & eleuatum sicut Cedros Libani, & transiui, & ecce, non erat: quæsiui eum, & non est inuentus locus eius. Hæc meditare tecum, homo.

5.

Chri-

Christiani statura recta, figura præstans,
pulcritudo admirabilis est.

Fecit quidem Deus opifex hominē
altitudine & rectitudine corporis præ-
ditum: at laudabilis in primis est ani-
mi eius celsa rectitudo. Vnde statura
eius est veluti palmæ statura, quæ eo
maior & firmior existit, quo altius
crescit, & nullo sinit se pondere flecti.
Bonus Deus est his, qui recto sunt
corde: Exoritur in tenebris lumen
rectis: generatio rectorum benedi-
cetur.

Vir iustus est rectus: Iustitia enim
est ipsa rectitudo; rectam viam ingre-
ditur recta ad cælum; omnia recta in
Deum dirigit. Pulcer est Christianus
spirituali pulcritudine, huic Christus
sponsus dicit: *Tota pulcra es amica mea.*
Pulcrum corpus animæ hospitium;
Pulcrior est hospes anima pii: pulcer-
rimum est ipsum summum pulcrum,
Deus, in illo pulcro habitans. Chri-
stianus itaque pulcritudinem a sum-
mo pulcro accipit: Et cum summo pul-

cro est cōiuncta; ipsum quotidie sum-
 mum pulcrum pulcriorem reddit.
 Hæc tāta est pulcritudo, vt Rex, Deus
 ipsum pulcrum, eam concupiscat, ab
 eaq; capiatur, *Psal. 44.* Christianus de-
 niq; vestibus pulcerrimis est indutus,
 Christum ipsum induit, ornatus veste
 nuptiali fidei & caritatis, tunicam ge-
 stat puritatis, thoracem fortitudinis,
 & stolam innocentia, &c.

CALCAR.

*Si impius fueris, crede mihi, homo, co-
 ram Deo eris mirifice deformis, scatenis
 ulceribus & vermibus, ita vt si te ipsum
 videres, te ipsum fugeres. Rectus non fue-
 ris, sed curuus: peccando enim a recta con-
 stitutione recedis. Externe quamuis nite-
 scas, intus tamen sordes. Denigrata est
 longe super carbones facies tua, & non es
 cognita in plateis, inquit scriptura. O im-
 pie, vide nuditatem & impuritatem tuā.
 Exutus iustitia nudus appares Deo, & o-
 mnia tua pudenda ostendis. Cerne te, &
 tuimet mirum in modum te pudebit. Folis
 ficus tegere te conaris, at frustra, prodi, a-*

ge pæ-

ge pœnitentiam, crede, & indue Iesum
Christum.

6.

Christianus ita vere diues est, vt ei nihil
vnquam desit.

Gloria & diuitiæ in domo iusti, ait sa-
cerCodex. Veræ autē diuitiæ in Chri-
sto & Christianis virtutib. cōsistunt. In
domo iusti igitur Christus, in quo o-
mnes thesauri absconditi: in iusto sunt
diuitiæ cœlestes, diuina munera, spi-
ritus sancti dona & fructus. Dominus
ipse est hereditas iustorum: In here-
ditate Domini morantur: Dominus
est pars eorum. Diues profecto Chri-
stianus est, cuius pater est Deus, cuius
hereditas est beatitudo, cuius domus
est paradisus, cuius opes sunt æterna
bona, cuius cibus & potus est caro &
sanguis filii Dei, cuius vestis ipse est
Christus & iustitia eius. Christiano
igitur non pertimescenda egestas: ni-
hilei deerit. Deus est pastor eius, nihil illi
deerit, in loco herboso ipsum collocavit.

Non est inopia timentibus Deum. Non affliget Dominus fame animam iusti. Non vidi iustum derelictum, nec semen eius querere panem. Diuites eguerunt & esurierunt: timentes autem Dominum nullo destituentur bono.

CALCAR.

Sperne evanescentes mundi diuitias, & quere thesauros caelestes & tecum permanentes. Impiorum diuitie sunt stercora, piorum sunt solida bona: illae sunt in arca, haec in animo: illae corrumpuntur, haec perdurant; illae usu decrescunt, haec augentur: illae habentem excruciant, haec possidentem letificant: illae relinquuntur in mundo, haec transferuntur in caelum. Diuites mundi vere estis pauperes & nudi, miserabiles plorate, qui thesaurizatis vobis iram in diem irae: ingredimini viam iustitiae, & sitis in Deo diuites. Querite regnum Dei & iustitiam eius, & nihil vobis deerit. Timete vero Dominum omnes sancti eius: quoniam non est inopia timentibus eum. Deus esurientes implet bonis, & diuites dimittit inanes.

7.

Pii Christiani caussa Deus rerum omnium
copiam præbet vrbi & orbi.

Piorum caussa, quicquid est in hac
vita commoditatis, & vtilitatis, felici-
tatisq; , a Deo omnium bonorum lar-
gitore, mundo conceditur. Leu. 26. *Si
in præceptis meis ambulaueritis, &c. dabo
vobis pluuiam suis temporibus, &c. Si obe-
dieris meis mādatis, benedictus eris ubiq;.*
Pietas Iacobi, rem auxit Labani. Io-
seph sua iustitia & pietate amplificauit
regnum Pharaonis. Pietas Eliæ oleū
& farinam viduæ auxit, Elisæi panem
multiplicauit, aquas & terrā sanauit.
Iusto Lotho Sodomæ comorante nō
est exusta ciuitas, eodē abeunte tota
igne conflagrauit. Prou. 28. *In multi-
plicatione ergo iustorum letabitur vulgus:
cum impii sibi sumserint principatum, ge-
met populus.*

CALCAR.

*Si propter pios mundus tot diuinis reple-
tur benedictionibus: Caue sis impius, ne
tua impietas eum maledictionibus obruat.*

Ff 4

Si obseruans pietatis & iustitia, ubiq; est benedictus: certe iniustus & impius ubiq; maledictus maledictione omnia inficiet. Memineris igitur Deum iustorum causa omnium rerum dare copiam: sis itaq; pius ac iustus, vt tu quoq; varias impendentes calamitates ab vrbe & orbe auertas.

8.

Veri Christiani Deus est protector, custos & vindex.

*Tribulationes quidem iustorum multae sunt, sed ex his omnibus eos liberabit Dominus. En iusti Christiani Deum liberatorem & vindicem habent: quoniam non relinquet Dominus virgam impiorum super sortem iustorum. Hic ait: *Mihi vindictam, ego retribuam. Dominus itaq; facit (vt Psalter ait,) Iudicium inopis, & vindictam pauperis. Castrametabitur angelus Domini circum timentes Deum, acie & vallo cinget eos. Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum. Audi & illa: Dominus custodit te, Dominus protectio tua. Iustus in protectione & umbra Dei commoratur. In die**

mala

*mala Dominus piū liberat, cōseruat eū, vi-
uificat eū, beatum facit eum in terra, non
tradit eum in manum inimicorū eius. Ab-
scondit Deus pios in abscondito faciei suæ a
conturbatione hominum, protegit eos in
tabernaculo suo a contradictione lingua-
rum. Numerauit omnes capillos eorum.
Curam illorum mandat angelis.*

C A L C A R.

*Gaudete pii Christiani, ipsum Deum
habetis vobis ubiq; presentem defensorem
& vindicem, qui vos tangit, pupillam ocu-
li Dei tangit. Nullum vos periculi genus
terreat, cum etiam cecideritis, non collide-
mini, quia Dominus supponit manus suas,
non dabit in commotionem pedem vestrū:
non dormitat qui custodit vos. In mani-
bus Dei descripti estis, non potest Deus ve-
stri obliuisci. O infelices impios, a quibus
Deus oculos suos auertit, a quibus ipse rece-
dit, quosq; reiicit sibi quasi exosos. Recon-
ciliate vobis Deum per Christum, ut in
manu & tutela Dei custodiamini, ut Deus
ipse vos omnipotenti dextera sua ample-
xetur & tueatur.*

9.

Christianus in nobilissima Repub. Dei ciuitate natus & educatus, Deum Christum & spiritum eius Doctores habet.

Christianus in ea Repub. natus & educatus est, qua nulla clarior & magnificentior vnquam fuit, scilicet in gloriosa & gratiosa ipsius Dei ciuitate, sancta Ecclesia, aduersus quam portæ inferorum non præualebunt. Hæc antiquissima, nobilissima, & amplissima est. Fundata est in montibus sanctis, hanc Deus diligit super omnes alias. In qua verus Deus, & vera religio. Natus in hac omnium magnificentissima Repub. Christianus, vtitur & gaudet præceptoribus omnisciis, ipso Deo, ipso Christo, ipso spiritu sancto, deducete eos in omnem veritatem. Docent vero hi præceptores viros pios, per legem naturæ, per creaturas, per suos Doctores, per verbum suum externum & internum, per reuelationes, &c. Hinc Christiani. *Bonus es*

Domini

Domine, & in bonitate tua doce me iustificationes tuas: Deus docuisti me a iuuentute mea, & usq; in senectam doces me.

C A L C A R.

In ciuitate Dei nate homo, leges Reipub. tue ne transgredere, alioqui ut ciuis malus plecteris. In schola Dei edoctus, doctrinam Magistri tui, audi & serua, alioqui ut discipulus indocilis & inobediens castigaberis. O te felicem, qui talem nactus es informatorem, qui tibi super genua blanditur, qui te ad ubera portat, humeris gestat, laeva sustentat, dextra amplexatur, errantem reuocat, per vias rectas & planas ducit. O te infelicem, si Dei scientiam reiicis, vocemq; eius non audis, Satanam alumnum & praeceptorem. Hic te non sustentat, sed deprimat; non defendit, sed offendit: non illuminat, sed tenebris inuoluit; Errores, vitia, & excusationes magister hic docet. Caue, non nutrit te, sed enecat.

IO.

Christianus Dei & bonorum vsu & consuetudine gaudet.

Pius non abit in consilio impiorū,
 & in via peccatorum non stat; sed ab
 omni via mala prohibet gressus suos:
 cum superbo & infatiabili corde non
 edit; declinantem a se malignum non
 cognoscit; Odit præuaricatores & in-
 quit: *Discedite a me mali, & saturabor*
mandatis Dei mei. Oculi ergo eius ad
 fideles terrę. Deo seruiunt, vt sedeant
 cum eo, & ambulantes in via imma-
 culata ei ministrent. Versatur pius cū
 optimis amicis, bonis libris, piis scri-
 ptoribus, & diuinis oraculis, ex quorū
 consuetudine fructus percipit maxi-
 mos, voluptates haurit ingentes, con-
 uersatur cum beatis angelis, cū Chri-
 sto Iesu fratre suo.

CALCAR.

O beatos homines, qui eiusmodi amicos
veraces, fideles, & iucundos nacti sunt,
quibus cum die ac nocte versari possunt.
Gaudete iusti sanctorum hominū, sancto-
rum angelorum, Christi & Dei sanctissi-
mi consuetudine, per quam omnia vitia
remouentur, omnes virtutes acquiruntur,

ac be-

ac bene beateq; uiuitur. O impii, cogitate, quanto in periculo uersemini, qui in consilio impiorum abitis, qui in uia peccatorum statis, qui in cathedra pestilentiae sedetis, qui cum Diabolo commercium habetis. Sanctos uobis querite amicos, ut sancti euadatis.

II.

Christianus uere liber Deo & Christo
sancte seruit.

Vbi spiritus Domini, ibi libertas. 2.

Cor. 3. Hic autem in Christianis est, quos filius liberauit, & ideo liberi sunt. Ioannis 8. Hic uiuendi uiam consideratam atq; prouisam habet, sensus omnes in officio continet, libidines refrænat, omnes animi cupiditates cõprimit: adeoque sibi ipsi dominatur. Hic celso & alto est animo, nihil pauet, nulla re labefactatur. Liber a carne, mundo & Satana, non timore seruii, sed amore filiali operatur. Estque interim seruus creatoris sui sanguine Christi emtus, qui regem regum & Dominum dominantium eligit, cui

seruire, regnare est: neque creaturæ, sed creatoris voluntatem facit: Huic seruo omnes creaturæ rationis expertes, & omnes beati angeli seruire parati sunt, imo cui filius Dei de cœlo venit seruitum.

CALCAR.

Seruus est miser omnis peccator, qui non ratione & honesto, sed sensu & cupiditate tanquam brutum ducitur, qui improbiſſimis Dominis, Satanae mundo & carni inservit, qui a variis animi perturbationib. in diuersas agitur partes, quouis timore perculsus cœcutitur, qui liber quidē corpore, seruit animo, qui non animo sed corpori etiam seruit: Deo vero & Christo seruire recusat. Quid vero Christi nomen iactas, & audire gestis Christianus, qui Christo non seruis? Animaduerte stultiā tuā, solo nomine inflaris; Isto nomine, ni Christo serueris, damnaberis, & grauius quidē: Et tibi olim pœna erit, q̄ nunc tibi gloria esse ducis. Non n. omnes, qui dicunt, Domine, Domine, intrabunt regnū Dei, sed qui faciunt voluntatē patris cœlestis.

12.

Christianus est Dei amicus, imo familia-
ri & domestico vsu Dei
gaudet.

Beatus est Christianus, qui Deum
nactus est amicum, ex cuius amicitia
maximi capiuntur fructus, vera vo-
luptas, vtilitas, honestas. Deus vult
bonum Christiano, & hic Deo. Deus
omnia sua communicat Christiano,
hic suam pro Deo vitam effundere nō
dubitatur, Deus ita amat hominem, vt
fit homo factus, Christianus vicissim
particeps est diuinæ naturæ. Deus est
in Christiano, & hic in Deo est, viuit,
& operatur. Deo & Christiano idem
nolle & velle est. Secretorum item
coñiunctione fruuntur. *Vos, inquit Christus
amici mei eritis, si feceritis, quæ precipio
vobis.* Amicitiam hanc vt sanctissime
colat Christianus, semper orādo & cū
Deo colloquendo, quasi familiariter
Deo vtitur. Christianus deuote & reue-
tenter, ardēter, & cōfidēter ad cor Dei
amici sui loquitur. De^o vicissim ad cor



amici Christiani loquitur, eumq; illuminat & consolatur, eiq; petita largitur. O sanctum commercium, in quo de Dei gloria, & hominis salute agitur!

CALCAR.

Gaudete Christiani mundo exosi, domestici estis Dei, Deo arctissime iuncti, invitamini ad conuiuium Dei, Christus sponsus vester, pater amicus vester. Amate, reuerimini, timete Deum ceu patrem vestrum, Deusq; ceu pater de vobis sollicitus domestice vos tractabit. Gaudete socii Dei familiares, amici Dei, sponsa Dei, coniuga Dei. Per Christum ad Deum ingrediemini & egrediemini & pascua inuenietis. Valeant humanae amicitiae, mundanae familiaritates, quibus a diuina abstrahitur animus vester. Mundi amicitia, est inimicitia cum Deo. Deo placere, est mundo displicere. Sit Deus amicus vester. Satanas, mundus & caro hostes insensissimi.

13.

Christianorum vota & dona Deo sunt gratissima.

Chri-

Christus inquit: *Amen, Amen dico vobis, quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Delectare in Domino, ait David- & dabit tibi petitiones cordis tui. Replet Deus in bonis desiderium cordis tui. Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & saluos faciet eos. Pulsat iustus, & ei aperitur, querit & inuenit, petit & datur.* Deinde licet bonorum nostrorū non egeat, tamen dona sibi a Christianis offerri ita desiderat, & oblata ita accipit, ac si egeret. Non modo ipsi sunt cara, sed minima quæq; accepta cumulatissime remunerat, dū cētuplum iis, qui aliquid pauperibus erogant, retribuit. Quanti fuerit accepti beneficii magnitudo, satis euidenter declarat retributio.

C A L C A R.

Quis non sit pius? Longe quippe est Dominus ab impiis, at piorum orationes exaudit. Victimæ impiorum sunt abominabiles Domino: Vota vero iustorum placabilia. O Domine, quantum debet letari in

te pius, cum desiderium cordis eius tribuas ei, & voluntate labiorum eius non defraudes eum, sed praeuenias eum in benedictionibus dulcedinis! Quis impius sit, cui Deus ait: Si multiplicaueris orationem, non exaudiam? Quis sit impius, de quo scriptura: Dona iniquerunt, non probat altissimus, nec respicit oblationes impiorum? Cui item Deus: Odi, & proieci festiuitates vestras, & non capiam odorem ex caetu vestro.

I4.

Christianus caelesti sanctorum ciuitate donatus, in terris est victoriosus miles Iesu Christi.

Christianus e captiuitate Babylo-nica liberatus, Dei ciuitate donatus, ciuis est sanctorum, & patritius caelestis, cum sit de caelo caelestis. Oriundus ex caelo, pater eius & fratres eius in caelo, hereditas eius in caelo. Ciuis hic sanctorum & Dei domesticus, & si sit in mundo, non tamen est de mundo. Vita eius est militia super terram. Insignia Christianae militiae accepit, miles

Chri-

Christi est, bella Dei gerit, non carnalia, sed spiritualia. Abnegat hic miles semetipsum, tollit crucem suam, & sequitur Christum. Cum Christo tollit, cum Christo portat, cum Christo orat, cum Christo maledicitur, cum Christo crucifigitur, cum Christo moritur, ac cum eodem resurgit, de mundo, carne, Diabolo, morte triumphat, & tandem cum eodem cœlum conscendet.

C A L C A R.

Gaudete & exsultate pii, ciues sanctorum estis & domestici Dei. Exite impii, captiuitate Babylonica, & asserite vos in libertatem ut Dei donemini ciuitate, ne amplius sitis ciues inferni, & domestici Satana. Pudeat vos esse Satana & peccatorum velites & milites, pro honore & regno Diaboli contra Deum pugnantes. O dementiam vestram, pro inimico contra amicos dimicatis, aduersus parentem Deum, tanquam Theomachi arma capitis, spicula in vos ipsos conuertitis, vos ipsi confoditis; atque ita

*impie belligerando vos, vestraque omnia
perdetis, nisi resipiscatis.*

15.

Christianus filius Dei, heres vitæ æternæ,
est in Deo, & Deus in ipso.

Non modo Christianus est miles
Christi, cuius sanctorum, amic⁹ & do-
mesticus Dei, sed etiam per adoptio-
nem filius Dei, quo nihil maius in eū
conferri potuit. Si filius, heres Dei, &
coheres Christi. Hereditas vero illa,
est æterna vita, omne bonum. Deus
ipse. Spiritus sanctus ipsi dat hoc testi-
monium, per quem etiam clamat;
Abba. Hic idem Christianus a deo
Deo est vnitus, vt Deus & Christus sit
in ipso, & ipse in Deo & Christo. *Filius,*
inquit, *ego in eis, & tu in me.* Filius est in
fidelibus, & pater in filio. *Vos,* inquit
Ioannes, *& in filio, & in patre permane-
bitis.* Pii sunt tanquam palmites in vi-
te Christo. Viuit quidem pius, at non
ipse, sed ipse Christus, in quo vita eius
est abscondita. Et olim Deus erit o-
mnia in omnibus suis electis.

CAL-

CALCAR.

Videte, fratres, qualem caritatem dedit nobis pater, ut filii Dei nominemur & simus. Carissimi nunc filii Dei sumus; si filii etiam heredes. Deus ipse est hereditas & portio nostra in terra viventium. Simus iam sordidi, infirmi, sprete: Erit, quando cum Christo glorificati regnabimus. Conuertimini, o filii Belial, qui ex Diabolo estis, & hoc spiritu caretis, quo ad Deum clamatur: Abba. Resipiscite toto corde, & eritis filii altissimi, qui habent vitam suam in Christo absconditam, qui conuiscatur cum Christo, pendent a Christo, sunt in Christo, sunt & manent in Deo suo perpetuum.

16.

In Christiano omnis beatitudinis ratio inuenitur.

Vir Christianus beatus est, quia a malo recedit, & legi diuinæ vacando, ex ea sancte viuit, *Psal. 1.* Hinc Deus mores & operationes ei' cognoscit & approbat. Beatus est Christianus, quia est pauper spiritu; quia vere mitis est:

Gg 3

quia esurit & sitit iustitiam; quia est
 misericors; quia est mundo corde;
 quia item pacificus, & tamen perse-
 cutiones patitur propter iustitiam.
*Beatus, inquam est, quia remissa sunt in-
 iquitates eius, & peccata tecta, quia mun-
 datus sanguine Christi, sanctificatus spiri-
 tu Dei, ideoq; immaculatus in via, infirmi-
 tates eius tegente misericorditer Deo, Chri-
 sti Iesu sanctissima obedientia propter eius-
 dem deprecationem.*

CALCAR.

*Dominus nouit viam iustorum, iter
 autem impiorum peribit. Impio nemo est
 infelicior, quia vera beatitudinis ratione
 est destitutus. Caue tibi ab impii miseria
 & pœna, & contende per angustam intra-
 re portam, insiste viam illam strictam, &
 erit aliquando, cum impius videbit te be-
 nedictum ad dextram Christi in extremo
 iudicio stātem, sententiā eius approbantē,
 & cū eo in cœlum gloriose ascendentē, ut cū
 eodem in felicissimo illo regno in secula se-
 culorum beate & gloriose regnes.*

17.

Chri-

Christianus non moritur, ideoque mortem non timet.

Qui facit voluntatem Dei, manet in aeternum, docente Scriptura. Iusti hereditabunt terram, & inhabitabunt in seculum seculi in ea. Iustorum animae sunt in manu Dei, & non tanget illos tormentum mortis. Qui manducat Christum panem vitae, non moritur in aeternum. Destructa & absorpta est mors iustis. Mors Christianis est transitus ad vitam veram. Abscondita est vita eorum cum Christo in Deo. Qui credit in Christum, etiam si mortuus tamen vivet. Si quis sermonem Christi servauerit, mortem non videbit in aeternum. Non itaque Christianus reformidat mortem hanc corporis. Cum sit transitus a corruptione ad incorruptionem, a mortalitate ad immortalitatem, a perturbatione ad tranquillitatem, a pugna ad triumphum, a sudore ad praemium, a brevi vita ad aeternam vitam. O beata iustorum mors, qua ipsi ab instantibus malis eripiuntur, a futuris liberantur, ad portum perducuntur, a laborioso exilio in patriam reuocantur, a vinculis solvuntur, a periculoso bello carnis

& spiritus liberantur, & tandem ad perfruendas voluptates nūquam deſituras in æterna tabernacula introducuntur.

CALCAR.

Timete impii mortem, qua spiritus veſter ſeparatur a Deo vita fonte, ut non timeatis mortem, qua anima veſtra a corpore diuellitur. Illam ſi timeretis, nunquam mortem reformidaretis æternam. Audita voce filii Dei, ſurgite in peccatis mortui, exite ſepulcro peccatorum, & illuminabit vos Chriſtus, nec vos ullius alius mortis ſpectrum terrobit. Qui non credit, qui non diligit, manet in morte. Credite, diligite, ſermonem Chriſti ſeruate, & mortem non guſtabitis in æternum.

18.

Christianus poſt diſceſſum ex hac vita, felicitate optata beabitur.

Christianus ex corporis ergaſtulo egreſſus, multos laqueos, grauiſſimas difficultates, ingentia pericula retroſpiciens cernit, & ex maximis pericu-

lis &

lis & manibus horrendorum hostium
 euasisse se intelligit, ideoque summo
 expletur gaudio, quod se ereptum ex
 tot malis videat, quod conuerterit
 Dominus captiuitatem suam, quod
 antea seminarit cum lacrymis, nunc
 vero cum exultatione metat; ait er-
 go: *Benedictus Dominus, qui non dedit
 me in prædam dentibus inimicorum. Ani-
 ma mea, velut passer, erepta est de laqueo
 venantium: Laqueus contritus est, & ego
 liberatus sum. Adiutorium meum a Deo,
 qui fecit cælum & terram. Videt itaque
 statim sibi adstantes angelos, vt læto
 triumpho se deducant in cælum.*

C A L C A R.

*Quorsum vos furor impietatis, o cæci
 impii, agit? Recognoscite mecum finem vi-
 tæ vestræ. Vbi excesseritis ex hac vita,
 quidnam videbitis? Diabolos vos ad tor-
 quendum promptos, supplicia, flagella, pu-
 teum abyssi, stagnum sulphuris, tenebras
 exteriores, caminum ignis, vermem per-
 petuo rosurum, ignem in exstinguibilem
 videbitis. Reuertimini ad Dominum*

Deum vestrum per pœnitentiam ac fidem,
 & non precipitabimini in tenebras, lu-
 ctum, lacrymas, tormenta, colubros. Ca-
 nete vobis in hac vita a furiis infernali-
 bus, ab igne inferorum, a stridore dentiũ,
 ne in has horroris plenas prorumpatis o-
 lim voces.

Væ, væ, væ, væ, væ, væ, væ, væ, væ
 mihi, væ, væ:

Damnatus perii, interiũq̃, intusq̃ fo-
 risque.

19.

Christianus cœlo illatus, ineffabili affi-
 cietur gloria.

Fidelis Christianus cœlestem vbi
 conscēdit Ierusalem, eũ Pater Crea-
 tor, Filius Redētor, Spirit⁹ Sanctifica-
 tor eius, honorifice excipient. Et qui-
 dem primum absterget Deus omnẽ
 lacrymã ab oculis eius. Hinc lætissima
 fronte Dominus ei dicet. *Euge serue bo-
 ne & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis;
 super multa te constituã: Ingredere in gau-
 dium Domini tui.* Postea super bona o-
 nnia constituet eum, & super effluẽ-

tem

tem dabit in sinum eius mensuram. Præterea iustus Iudex ei coronã iustitiæ tribuet, dabitq; sedere cū Christo in throno suo. Dein ad nuptias Agni Deus illū discumbere faciet, & transitus ministrabit ei: dabit ad manducandum manna absconditum, & lignum vitæ, quod est in paradyso Dei, cum duodecim fructib. eius, & de torrente voluptatis suæ potum dabit ei, & calice præclaro inebriabit eum.

C A L C A R.

Gaudete iusti, epulabimini post obitum, & satiabimini, cum apparuerit gloria; exsultabitis in conspectu Dei, & delectabimini in lætitia. Ad frugem redite meliorem impii, alioqui ex hac luce, non amplius lucem visuri abibitis: in infernum, barathrum, gehennam, caminum, puteum, & stagnum ignis coniciemini. Resipiscite, præmium vestrorum operum ne sit ignis, sulphur & fœtor infernalis. Ne Satanae, ne carni, ne mundo, hostibus salutis vestrae fidem adhibete, alioqui Demones erunt vestri olim tortores & carnifices,

Et mors depascet vos. Diram hanc loci faciem fugite, euitate ingratham illam societatem, euitata impietate, Et euitabitis sortem omnibus huius seculi ærumnis grauiorem.

20.

Christianus cœlo adiudicatus maxima in æternum perfruetur beatitudine,

Qui vicerit, inquit Dominus, sic vestietur vestimentis albis, Et non delebo nomen eius de libro vitæ, Et confitebor nomen eius coram patre meo, Et coram angelis eius. Dicet igitur Christus: Hi sunt, qui patris Et meam gloriam semper quasiuerunt: hi sunt qui mundum, Satanam, Et carnem superarunt: hi tentati multum per fidem vicerunt: hi in me omnia misericordiae opera exercuerunt. Vos, inquit, estis, qui permansistis, mecum in tentationibus meis: En ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater, regnum, vt edatis Et bibatis super mensam meam in regno meo, Et sedeat is super thronos iudicantes duodecim tribus Israel. Venite igitur benedi-

Etipa-

oti patris mei, possidete regnum, quod vobis paratum est. Et tunc Christiani iustificati erunt possessores bonorum omnium, & omnibus summo cum gaudio perfruentur bonis. Adeoq; ipsos consummata excipiet & glorificabit beatitudo, status nempe omnium bonorum aggregatione perfectus: Torrente voluptatis ineffabilis potabit eos Deus: fluminis impetus lætificabit ciuitatem Dei; Delectationes in dextera eius in finem. Sed oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se, beati, qui habitant in domo tua, Domine, in secula seculorum laudabunt te.

CALCAR.


Quisquis es, homo, qui hac legis, crede & dilige, ora & labora, abnegate ipse, & sequere Christum, exerce bonam militiam retinens fidem & bonam conscientiam, ut sis ex iis, qui confessi nomen Dei, tunc coronantur, & accipiunt palmas. Ne erubesceris filium Dei & sermones eius, ne vicissim

te erubescat ipse, cum venerit in maiestate
sua, & Patris, & sanctorum angelorum:
ne Iudex in ira sua tibi loquatur, & in fu-
rore suo te conterat; ne sapientia in interi-
tu tuo rideat, & dicat: inunc, & comede
fructus viarum tuarum: ne Christus di-
cat Iudex: Discede a me maligne, & abi in
ignem aeternum.

Caue, caue homo, ne tunc Deus revelet
pudenda tua in facie tua, nec ostendat gen-
tibus nuditatem tuam, & regnis ignomi-
niam tuam. Breui exardebit ira eius: Bea-
ti omnes, qui confidunt in eo, cuius no-
men sit benedictum in secula
seculorum. A-
men.

Esto fidelis vsq; ad mortem, & dabo
tibi coronam vitæ.

Finis coronat opus.



Th. ewang. asc. 1734.

